AN. LXXX SERIES VII FASC. II. AN. 1955

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Ep. Volateranno — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^I — EDITORES PONTIFICI

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - VI - 1955.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Sacra Congregatio Concistorialis.

In normas et facultates pro Sacerdotibus in spiritualem navigantium maritimorum et emigrantium curam incombentibus adnotationes. (FERRETTO, I.) . . . . . Pag. 203

Sacra Congregatio de Religiosis.

Instructio de Cappellanis militum Religiosis. (GUTIERREZ, A.). . » 236

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, *Ponente*. *Sententia definitiva in quarto gradu.* (sub die 28 februarii 1951) . . . . . » 249
Coram R. P. D. BOLESLAO FILIPIAK, *Ponente*. Sententia die 28 julii 1951 lata . . . . . » 264
Coram R. P. D. DINO STAFFA, *Ponente*. CLEVELANDEN. Nullitatis Matrimonii. Sententia definitiva. Die 9 aprilis 1954 . . . » 269

Tribunal Appellationis Bononiense.

Nullitatis matrimonii (ex capite impotentiae mulieris). Sententia definitiva diei 5 augusti 1954. A. SABATTANI, *Ponente* . . » 273

STUDIA ET CONSULTATIONES

CANALS, S. Stato di perfezione e Sacerdozio. (Commento al Discorso del Sommo Pontefice Pio XII ai Delegati del Congresso Generale dei Religiosi - 8 Dicembre 1950) . . . . . » 297
STAFFA, D. De exclusione boni prolis. . . . . » 318
BENDER, L. Cautiones non sincerae . . . . . » 320
OESTERLE, G. De iure abbatum exercendi pontificalia . . . » 324
HERMAN, AE. Canon 5 C. I. C. possitne applicari ad interpretationem canonis 88 § 3 Motu Proprio « Crebrae Allatae snnt », ubi de matrimoniis mixti ritus agitur? . . . . . » 334

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

La proposta per il divorzio al Parlamento Italiano. (STAFFA, D.) . » 341

RECENSIONES

FABRO, C. *Dio.* (CARPINO, F.) . . . . . Pag. 355
LANZA, A. - PALAZZINI, P. *Principi di Teologia Morale*, vol. II° *Le Virtù.* (CARPINO, F.) . . . . . » 356
PIOLANTI, A. *Il Mistero Eucaristico.* (PARISELLA, I.) . . . . » 357
SIPOS, S. *Enchiridion Juris Canonici.* (SACCHI, A.) . . . . » 358
VATTUONE, G. *L'uomo e la malattia mentale.* (OESTERLE, G.) . . » 360
BAILO, P. - GIAROLA, A. - TURRI, E. *Aggiornamento medico-morale in tema di fecondazione artificiale.* (OESTERLE, G.) . . . » 366
CONCI, F. *La Chiesa e i vari stati.* (BARTOCCETTI, V.) . . . » 368

DOCUMENTA

Iis interfuerunt Conventui ex librorum Editoribus catholicis Italiae, Romae habito . . . . . » 371
Iis qui interfuerunt Conventui ex Delegatis a Sodalitate, quae « Organisation Internationale du Travail » appellatur, Romae habito . . . . . » 373
Iis qui interfuerunt Conventui, Romae habito, ad praecavendas operariis calamitates . . . . . » 376
Iis qui interfuerunt internationali quarto Conventui Unionis Medicalis Latinae, Romae habito . . . . . » 379

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 385
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS



Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1955_80_2

S. CONGREGATIO CONCISTORIALIS

IN NORMAS ET FACULTATES

PRO SACERDOTIBUS IN SPIRITUALEM NAVIGANTIUM MARITIMORUM ET EMIGRANTIUM CURAM INCUMBENTIBUS

ADNOTATIONES

(Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, vol. LXXIV (1954), pag. 568-576 et vol. LXXX (1955), pag. 23-24).

1. Anno 1954 vertente, nonnullae « Normae et Facultates » a S. Consistoriali Congregatione, Summo Pontifice adprobante, in additamentum Apostolicae Constitutionis *de spirituali emigrantium cura* editae fuerunt.

Meminisse etenim iuvat, in Tit. alt., cap. III, n. 25 § 2 Constitutionis Apostolicae « Exsul Familia » haec haberi: « Cappellani peculiaribus normis ac facultatibus a S. Congregatione Consistoriali instruentur ». Quaedam insuper statuuntur nova, sive ad dubia forte exorta vel exoritura solvenda, sive ad difficultates removendas, exercitium et usum vel secutas vel secuturas. Per has Normas Cappellanis Apostolatus Maris eorumque Directoribus omnia attribuuntur, quae in commodum Cappellanorum navium eorumque Directorum per Apostolicam Constitutionem iam fuerant concessa. Ac tandem in spiritualem utilitatem fidelium quibus adsistentia praebetur, peculiaribus instruuntur gratiis et privilegiis emigrantium missionarii, navium (vulgo: di bordo) cappellani, et cappellani Apostolatus maris seu maritimorum.

Non uno tamen eodemque tempore sed variis quidem documentis et interiecta mora editis, « Normae et Facultates » prolatae fuerunt: novissime enim, nempe die X decembris 1954, in festo Translationis Almae Domus B. M. V. [1] « Normae et Facultates » pro missionariis emigrantium; die vero II aprilis 1954, in festo S. Francisci a Paula, Patroni Italorum navicullariorum, « Normae et Facultates » pro Cappellanis Apostolatus maris [2], ac tandem die XIX martii 1954, in festo S. Iosephi Sponsi B. M. V., « Normae et Facultates » pro cappellanis navigantium feliciter prodierunt [3].

[1] A. A. S., XXXXVII, pp. 91-92.
[2] A. A. S., XXXXVI, pp. 248-252.
[3] A. A. S., XXXXVI, pp. 415-418.

2. De tribus documentis simul sumptis simul quoque peragere lubet: una enim eademque ratione Sacra Congregatio in exarando est usa; una, item, saltem ut plurimum, rerum summa; et praeterea, si quae sint diversitates, ex comparatione facilius animadvertuntur discrimina, inde quidem oborientia, quod variis in adiunctis versatur sacerdos sacro suo ministerio perfungens, sive in navi in commodum vel obiter peregrinantium vel maritimorum « les marines », sive in emigrantium utilitatem in continenti terra. Huc enim omnino spectare videntur « Normae et Facultates », ut expeditius evadat fructibusque uberius sacerdotale ministerium, quod in praefatis christifidelium numeris alacriter exercetur.

3. Quibus rite praemissis, quid, nostra equidem sententia, sibi velint in subiecta materia verba: *navigans*, *maritimus* et *emigrans* breviter videtur explanandum.

Navigans est qui actu in navi versatur iter maritimum aggressus, sive migrandi sive itinerandi causa ductus, per quodlibet temporis spatium, quibusvis motus consiliis vel causis. Istiusmodi fidelis ad tempus tantum manet extra locum ubi iam pridem valuit, et, in patriam aliquando regressus, iterum valebit spirituali adsistentia perfrui, quae in relicta sed adhuc expetenda paroecia offerri solet.

Maritimus est qui habitualiter, vel officii vel laboris causa, sive in moderamen incumbens, sive operam navans, sive piscatoriam gerens artem, in navi versatur; quem ergo non obtinet spiritualis adsistentia neque in originis, neque in stationum paroecia. Item vero maritimum non obtinet, laboris causa, spiritualis cura, quae per navium cappellanum fidelibus maritimum iter peragentibus praebetur: patet enim eos, qui machinis, coquinis ceterisque necessariis operibus vacant, quominus Sacro sanctae Missae matutinis horis die festo celebratae rite intersint, persaepe prohiberi.

Emigrans est qui sponte vel vi, solus vel cum familia, longe, in continenti tamen terra, versatur a patria.

4. Singuli, de quibus agimus, Normarum et Facultatum fasciculi tribus constant partibus. Primum enim edicta habentur, quae necessario requiruntur, ut quisquis legitime assumptus censeri queat in officium vel cappellani navigantium, vel cappellani maritimorum, vel missionarii emigrantium, vel cappellanorum aut missionariorum Directoris; quaedam, praeterea, pro cappellanis praesertim praescribuntur, quae antea non fuerant statuta.

Secundo vero recensentur facultates et privilegia, quae tribus praefatis sacerdotum ordinibus durante munere et pro sua cuique

competentia vel munerum diversitate Sanctissimus Dominus tribuere dignatus est.

Tertio tandem recoluntur nonnulla spiritualia subsidia quae idem Summus Pontifex fidelibus navigantibus, maritimis et emigrantibus Ipse largitus est.

Una tantum datur exceptio. In Indice pro sacerdotibus in spiritualem maritimorum curam incumbentibus quaedam tribus hisce partibus praemittuntur de origine operis Apostolatus Maris et de Secretariatu generali internationali eumdem opus moderante: quae de cetero ex Apostolica Constitutione « Exsul Familia » ad literam desumpta sunt.

Seorsim igitur de unaquaque parte agemus.

PARS PRIMA

5. **De requisitis ad officium Cappellani et Missionarii: de ipsis officiis**: A. A. S., XXXXVI, p. 249, 3. 4.; p. 415, 1. 2. 3; XXXXVII, p. 91, 1. 2.

a) Necesse est ut qui alterutri officio vacare cupit, rite adprobetur et nominetur, obtento a Sacra Congregatione Consistoriali peculiari Rescripto.

Urgere tamen visa est interdum necessitas, quin Sacra Congregatio adiri possit, Cappellano instruendi navem mox e portu discessuram: hac de re omnibus extra Italiam Nuntiis Internuntiis ac Delegatis Apostolicis data est, servatis servandis, facultas cappellanos nominandi sive navigantium sive Apostolatus maris seu maritimorum, reservata tamen Sacrae Congregationi Consistoriali Directorum nominatione.

b) Pontificii Administri haec adimplentes eadem agendi ratione procedunt ac Sacra Congregatio Consistorialis, quae sacerdotem adscitum in cappellanum navigantium vel Apostolatus maris peculiari rescripto munit et indice facultatum instruit, quo tantum accepto, cappellanus iisdem licite et valide perfrui potest.

c) Quoad officia, recolitur, generali sane ratione, onus religiose servandi ea omnia quae de cappellanis navigantium et de missionariis emigrantium eorumque Directoribus praecipiuntur in Constitutione Apostolica proprio loco: quae normae, congrua congruis referendo, etiam a cappellanis maritimorum seu Apostolatus maris eorumque Directoribus adamussim erunt servandae, sicuti expresse praecipitur.

6. **Nihil aliud, hac in re, de missionariis emigrantium; plura vero habentur de cappellanis.**

Recensetur in primis Delegatus ad opera de emigratione, cuius potestati omnes cappellani cuiusque gradus se sciant obnoxios. Muneris etenim vi, Delegatus praeest cappellanis sive agatur de sacerdotibus saecularibus sive de religiosis, eorumque Directoribus [4], ac praeterea eos omnes, de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis, moderatur, eis invigilat [5], ad navem mittit [6], eosque per Directores sedulo iuvat [7].

Quae omnia, ut ex dictis facile eruitur, etiam pro cappellanis Apostolatus Maris omnino valent.

7. **De SS. Eucharistia in navis Oratorio adservanda:** A. A. S., XXXXVI, p. 415, 4.

1. Hoc primum ponebatur exsolvendum dubium:

utrum Sanctissima Eucharistia custodiri possit in navis oratorio ab Ordinario loci cuius territorio adhaeret portus in quo navis habitualiter consistit legitime erecto [8]; an requiratur in casu aliqua specialis licentia vel apostolicum indultum ad tramitem can. 1265 § 2 C. I. C.

Ad iuris tramitem Sanctissima Eucharistia custodiri *debet* in ecclesia cathedrali, paroeciali, et adnexa domui religiosorum exemptorum; custodiri *potest*, *de licentia Ordinarii loci*, in ecclesia collegiata, et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici (Can. 1265, § 1, 1°-2°).

Patet igitur ad secundum respondendum esse adfirmative: nullaque indiget explicatione responsum, cum perspicuum sit navis oratorium nullimode comprehendi vel comparari posse enumeratis, in praedicto canone § 1, 1° et 2°, ecclesiis vel oratoriis in quibus, debet vel, de licentia Ordinarii loci, potest Sanctissima Eucharistia custodiri.

De cetero, quisnam potest dici « Ordinarius » alicuius navis, itinere maritimo perdurante?

2. Dubium supererat tamen quoad agendi rationem in apostolico indulto obtinendo: quaenam, nempe, Sacra Congregatio adeunda?

---

[4] Exsul Familia, Tit. II, Cap. II, n. 11, § 1.
[5] L. c. Tit. II. Cap. II, n. 11, § 2.
[6] L. c. n. 13, § 1.
[7] L. c. n. 13, § 2.
[8] L. c. Tit. II, Cap. III, n. 30.

Cappellani navigantium, apud omnes constat, eorumque Directores suo munere funguntur sub moderamine Sacrae Congregationis Consistorialis [9] cuius est « exclusive quaerere et ea omnia parare quae spirituali bono cedant emigrantium latini ritus » [10]. Porro, ad quaslibet praecavendas dubitandi causas, statuitur: « ut Sanctissima Eucharistia in navis oratorio legitime erecto custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum a Sacra Congregatione Consistoriali obtinendum » [11].

Adduntur praeterea quaedam condiciones ad huiusmodi recursum:

a) recursus ponendus est non a quolibet cappellano navigantium, sed tantummodo a Directore cappellanorum.

b) Afferendum est testimonium Ordinarii loci, ad quem spectat erigere et benedicere oratorium in navi, de observantia legum liturgicarum.

3. Quibus positis, indultum custodiendi Sanctissimam Eucharistiam in navis oratorio non directe Sacra Congregatio Consistorialis concedit cappellanorum Directori, sed Ordinario de quo supra remittit, ita quidem ut ipse valeat deinde gratiam conferre servatis de iure servandis et maritimo tantum perdurante itinere. Quocirca oportet in navi adsit qui Sanctissimae Eucharistiae curam habeat, et sacerdos saltem in hebdomada Missam celebret in navis oratorio. Haec omnia magni perpendant cappellani navigantium, cum, maritimo itinere persoluto, navis per aliquot dies vel ad notabile tempus relinquitur.

4. Neque illa in oblivione cadant, quae sequentibus verbis praecipiuntur: pixis in tabernaculo inamovibili firmiter haereat, ne fluctibus aestuantibus agitetur, clavis diligenter custodiatur, et lampas continenter diu noctuque coram eo luceat, etiam ex electrico [12].

8. **De Kalendario adhibendo, et de nomine Papae in canone Missae exprimendo:** A. A. S., XXXXVI, p. 249, 5. 6 et p. 416, 5. 6.

Iisdem stantibus quae supra ponuntur, « quisnam, nempe, dici possit Ordinarius cuiusdam navis itinere maritimo perdurante », tum de kalendario adhibendo, tum de nomine Antistitis in canone Missae exprimendo, normae editae sunt peculiares.

Exsul Familia, Tit. II, n. 18, § 1.

[10] L. c. n. 1, § 1.

[11] A. A. S., XXXXVI, p. 415, 1, 4°.

[12] Ex Actis Sacrae Congregationis Consistorialis, AM. 3.

Recolas, quod omnes norunt, kalendarium adhibendum in Missae celebratione et in divini officii recitatione adprobandum esse ab Ordinario; nec verba illa a memoria decidant: Missa regulariter convenire debet cum officio celebrantis. Datur tamen exceptio si in alienis ecclesiis vel oratoriis publicis sis peracturus, cum in hoc casu Missa regulariter convenire debeat cum loci, non celebrantis officio. Accidere praeterea potest, ut sacerdos quidam iter maritimum, per hebdomadas forte producendum, aggressus, kalendarium, quavis de causa, secum non gerat; vel ut duo sacerdotes, ad diversas dioeceses, dicliones et regiones pertinentes, divinum officium simul recitare cupiant.

Hisce de causis Summus Pontifex benigne dignatus est concedere quae sequuntur: « in sacris peragendis et in divino officio recitando, itinere maritimo perdurante, sacerdotes in navi versantes uti possunt kalendario Ecclesiae universalis » et « in canone Missae, itinere maritimo perdurante, exprimitur nomen Papae, reticita cuiuslibet Antistitis memoria ».

Addi placet has normas valere pro navibus, adsit vel desit oratorium, et, praesertim, pro sacerdotibus navigantium, vel Apostolatus maris cappellanorum munere actu perfungentibus.

9. De libris paroecialibus exarandis et custodiendis: A. A. S., XXXXVI, p. 249, 7. 8 et p. 416, 7.

Altera quae habetur norma pertinet ad libros paroeciales de quibus agitur in can. 470 C. I. C.

1. Praemittenda ad rem censeo verba quibus « Exsul Familia » statuit « proprium esse cappellanorum navigantium, itinere maritimo perdurante, curam animarum gerere, *excepta re matrimoniali*, eorum qui quavis de causa in navi versentur » [13]; quae cum etiam de cappellanis Apostolatus maris dicantur oporteat, istorum et illorum, ut patet, erit et munus conficiendi libros baptizatorum, confirmatorum, et mortuorum tantum [14].

Porro ad parochum sane, vi can. 470, spectat onus non tantum accurate conficiendi pro viribus et diligenter asservandi omnes libros paroeciales (§ 1), sed etiam tabularium instituendi in quo libri custodiantur (§ 4), authenticum exemplar eorum ad Curiam episcopalem transmittendi in fine cuiuslibet anni (§ 3), et utendi sigillo paroeciali (§ 4).

2. Quae tamen ad integrum minime possunt a cappellano perfici, tum quia in praecariis iisdemque peculiaribus adiunctis ver-

[13] Exsul Familia, Tit. II, Cap. III, n. 25, § 1.
[14] L. c., et A. A. S., XXXXVI, p. 249, II, 7.

sans animarum curam saepe gerere compellitur, tum quia ab altero cappellano faciliter potest substitui, tum quia ubi navis oratorio instruitur, angusto loco fruitur cappellanus, et desunt ea quae tutam reddunt documentorum custodiam.

His et aliis de causis, quae cum sint perspicuae, omittendas censeo, summa navium quae Directori Nationali cappellanorum navigantium et Directori Nationali Apostolatus maris sunt obnoxiae, tamquam unum quiddam fuit considerata: quod, tamen, paroecia sese movens in mari, unico instructo archivo ibi constituto ubi sedem figit Director Nationalis, nullo modo potest haberi.

Quibus rite perpensis, visum est Legislatori munera per Codicem parocho adsignata, alia Directori, alia cappellano tribuere. Re quidem vera, cappellanus tenetur onere conficiendi libros de quibus supra, et in fine cuiuslibet itineris maritimi hos libros suo Directori exhibere; nec alia cappellanum urgent. Directoris autem erit habere tabularium seu archivum in quo memorati libri custodiantur; authenticum exemplar eorum ad Curiam transmittere illius dioecesis in qua Directoris sedes est constituta; suo uti sigillo et litteras testimoniales iis quorum interest dare.

3. Peculiari, item, considerata condicione emigrantis, sive generatim sumpti — extra patriam enim degere cogitur —, sive singulatim accepti — quippe maritimo itinere perdurante Baptismum vel Confirmationem est suscepturus, vel mortem obiturus — Sacra Congregatio Consistorialis expresse recolit ea quae a Codice decernuntur de Baptismi et de Confirmationis, si absente parocho conferantur, adnotatione. Statuit enim Codex: « Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quam primum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat » (can. 778) et « si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per se vel per alium quam primum eumdem certiorem faciat » (can. 799).

His extensis ad casum mortis, si maritimo itinere perdurante eveniat, Normae decernunt ut adamussim servatis de hac re iis quae a sacris canonibus statuuntur, de actis in libris rite exaratis quamprimum etiam parochus domicilii eorum de quibus in libris agitur certior a Directore fiat.

4. Quoad relationem de exercitio muneris ministri extraordinarii confirmationis ex parte cappellanorum, postea agendum erit, cum de hoc sacramento presse dicemus.

PARS SECUNDA

10. **De Facultate Sacramentum Confirmationis administrandi.** A. A. S., XXXXVI, p. 250, 9, 1° et 2°: et p. 416, 8, 1° et 2°.

Facultas qua, vi pontificiae concessionis, perfruuntur cappellani navigantium et Apostolatus maris trifariam distinguitur.

I *Facultas Confirmationem conferendi iis qui ex grari morbo in mortis periculo sunt constituti.*

1. Vi Decreti « Spiritus Sancti munera » [15] facultas qua pollet minister extraordinarius Confirmationis ex generali Apostolicae Sedis indulto tribuitur, in casibus tantum et sub conditionibus enumeratis, sequentibus presbyteris, iisdemque dumtaxat:

a) parochis proprio territorio gaudentibus, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruantur territoro;

b) vicariis, de quibus in canone 471, atque vicariis oeconomis;

c) sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis.

Quocirca, dum missionarii emigrantium cum cura animarum considerari poterant veluti parochi personales vel familiares proprio fruentes territorio licet cumulativo [16], sicuti Summus Pontifex Ipse benigne declaravit, nulli ex recensitis ordinibus aequiparari possunt sive cappellani navigantium sive cappellani Apostolatus maris.

2. Hac de re, ut itinerantes in navibus degentes, sive emigrantes stricto sensu sive non, et maritimi participes essent spiritualium donorum, quae Summus Pontifex largiri dignatus est, satius hac ratione prospiciendo spirituali commodo « infantium, puerorum atque adultorum fidelium, qui ob gravem morbum in vitae discrimen adducerentur, et certo certius oppetant, quin sacro chrismate linerentur, si observantia iuris communis quoad Ordinarium Confirmationis ministrum adamussim urgeretur » [17], maxime conveniens erat ut cappellani navigantium et cappellani Apostolatus maris, novo peculiari indulto, augerentur facultate exercendi munus ministri extraordinarii Confirmationis. Et revera Sanctissimus Dominus praedictum peculiare indultum benigne ad biennium concedere dignatus est per S. Congregationem de Sacramentis die 24

[15] A. A. S., XXXVIII, pp. 349-354.
[16] A. A. S., XLV, pp. 758-759.
[17] A. A. S., XXXVIII, p. 351.

novembris 1952 cappellanis navigantium in favorem emigrantium, iis tamen legibus: « ut Confirmationis Sacramentum, in adiunctis de quibus in praefato Decreto, personaliter conferatur *emigrantibus*, iisque dumtaxat, dum maritimum iter peragitur et in navi consistunt, a Cappellano eorumdem proprio, si unicus sit eis praepositus, aut, si plures in eadem navi sint constituti, ab eorum primo.

Cappellano autem hac facultate uti licebit tantum si Episcopus communione gaudens cum Apostolica Sede, etiam titularis, non inveniatur in navi; secus ipsi Episcopo reservata manet Confirmationis collatio.

Cappellano autem officium erit, sive forte per Episcopum, sive per se Sacramentum administratum fuerit, diligenter describendi in suo peculiari regesto, quo praeditus esse debet, ea omnia quae praecipiuntur sub n. 6 et seq. p. I enunciati Decreti.

Cappellanus insuper Confirmationem administratam, addito mense, anno et loco, describat in, prout nuncupatur, *libello familiae*, cura memoratae S. Congregationis Consistorialis exarato, quo instructae sunt familiae emigrantium, ut quocumque se conferant omni tempore et eventu certo constet de sacramento recepto.

Confecto vere itinere maritimo idem cappellanus, ubi primum fieri poterit, parochum confirmati proprium certiorem faciat per authenticum documentum, quod omnes notitias complectatur oportet, de quibus supra, uti iuxta statuta cann. 798-799, collatam Confirmationem in libro Confirmatorum et Baptizatorum adnotet.

Quodsi unicus Cappellanus aut, si plures sint, eorum *primus* per se ipse confirmare nequeat, nullus alius, praeter Episcopum, Sacramentum istud valide conferre valet.

Serventur quoad cetera termini et clausulae memorati Decreti, praesertim quod attinet ad *Relationem* quotannis ad hanc S. Congregationem mittendam (n. 9, p. I) ».

3. Posterius vero, scilicet die 31 augusti 1953, idem Sanctissimus Dominus per Sacram Congregationem Consistorialem stabiliter, sarctis sanctisque quas supra recensuiimus normis, indulsit ut cappellani navigantium et cappellani Apostolatus maris munere augerentur ministri extraordinarii Confirmationis pro fidelibus suae iurisdictioni obnoxiis.

Ideo cappellanis navigantium eorumque Directoribus, durante munere, facultas competit administrandi sacramentum Confirmationis cuilibet christifideli in navi versanti, ex gravi morbo in mortis periculo constituto. Pariter cappellanis Apostolatus maris eorumque Directoribus facultas competit, iisdemque conditionibus ac adiun-

ctis, sacramentum Confirmationis administrandi quibuslibet maritimis, iisdemque tantum.

4. Quaeritur utrum verba « itinere maritimo perdurante » intelligi debeant stricte eo sensu scilicet quod, navi consistente in aliquo portu, itinere tamen non expleto, facultas praedicta suspendi censenda sit.

Respondendum videtur negative nam praedictis verbis « itinere maritimo perdurante » significari censemus integrum iter maritimum quod tunc incipit cum navis discedit a portu ex quo unumquodque iter maritimum initium sumit et absolvitur cum navis accedit ad portum in quo idem iter perficitur. Ceterum plane intelligitur in portibus, ubi itinere maritimo perdurante aliquandiu navis consistit, non sine gravi incommodo Episcopus adiri posse.

5. Quaeritur insuper quibus maritimis cappellani Apostolatus maris sacramentum Confirmationis conferre valeant.

Respondendum censemus cappellanos Apostolatus maris sacramentum Confirmationis conferre posse omnibus maritimis sed — hoc bene recolas — iisdem tantum et dummodo in ambitu territoriali inveniantur, puta in aliquo portu, sibi ab Ordinario loci praestituto.

6. Quaeritur tandem utrum cappellanus teneatur etiam, per se vel per suum Directorem, ad Ordinarium « dioecesanum » nuntium mittere collatae Confirmationis, additis adiunctis omnibus in casu concurrentibus [18].

Responsum patet ex iis quae dicemus: S. Congregatio Consistorialis nullimode relaxavit disciplinam statutam a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum, immo ad ipsam urgendam, perpensis peculiaribus rerum adiunctis quae supra recensuimus, officio adstrinxit sive Directorem cappellanorum navigantium sive Directorem cappellanorum Apostolatus maris de numero eorum qui a cappellanis, ex gravi morbo in periculo mortis constituti, sunt confirmati, et de ratione ab iisdem tanquam ministris extraordinariis in munere perfungendo adhibita, quolibet anno, sub initio anni proxime insequentis, mittendi relationem ad Sacram Congregationem Consistorialem et ad Ordinarium dioecesis in qua Directoris officium est constitutum.

Diximus ad urgendam observantiam eorum quae a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum statuta sunt: et revera sibi exhiberi relationem statuens, facilius non tantum animadvertere de

---

[18] A. A. S., XXXVIII, p. 353, VII.

conditionum observantia potest, sed etiam relationem transmittere ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum iuxta quod illa decrevit n. 9° memorati Decreti [19].

II. *Facultas administrandi sacramentum Confirmationis, itinere maritimo perdurante, cuilibet emigranti puero vel adulto primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto.*

Hac facultate Augustus Pontifex concessit cappellanos navigantium et Apostolatus maris gaudere die 12 februarii 1954. Ex contextu deducitur hanc facultatem datam fuisse praesertim intuitu emigrantium, nam haec inter alias condiciones edicitur: « dummodo praevideatur confirmandum vel aetate vel inscitia sermonis vel loci adiunctis nonnisi magna cum difficultate in regione *immigrationis* hoc sacramentum recepturum ».

III. *Facultas administrandi sacramentum Confirmationis cuilibet emigranti, itinere maritimo perdurante.*

1. Vix renuntiata dictae facultatis concessione, in rem praesentem illico venit condicio frequentium iuvenum ex meridianis Italiae regionibus demigrantium, qui, Eucharistia primum *aliquomodo* recepta, improbandum regionis morem, a normis can. 788 C. I. C. omnino alienum, secuti, nondum erant confirmati ac praeterea vel inscitia sermonis vel locorum adiunctis nonnisi magna cum difficultate in regione immigrationis essent Confirmationem recepturi. Quibus in Audientia diei 4 iulii 1954 relatis, Sanctissimus Dominus dignatus est in favorem huiusmodi emigrantium easdem concedere facultates quas emigrantibus eucharistico pane in navi primum refectis iam pridem donaverat: facultatis mentionem animadvertes in edito nuper Indice facultatum, de quo in praesens agimus, ubi verbis « primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto » additum legis: *praesertim.*

Liquido patet recensitas concessiones nullo modo dispensare ab omnium legum iure communi statutarum arcta observantia, et tunc tantum valere cum nullus adsit in navi Episcopus communione gaudens cum Apostolica Sede.

2. Quod autem ad ritum, in casu, attinet, scias in A. A. S., XXXVIII, pp. 356-358 referri ritum servandum a sacerdote vi huius apostolici indulti Confirmationem conferente, illum, nempe, quem habet Rituale Romanum auctoritate SS. Domini Nostri Pii PP. XI ad normam Codicis Iuris Canonici accomodatum; editio typica a MDCCCCXXV ».

[19] A. A. S., XXXVIII, p. 353.

De numeris II, et III, Index a S. Congregatione Consistoriali editus in memoriam revocat Instructionem Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante quae iussu eiusdem Sacrae Congregationis edita in festo Pentecostes anni 1934 tribus partibus constat: « I. Novae Instructionis necessitas post promulgatum Codicem I. C. et post quasdam editas resolutiones quoad Confirmationis Ministrum et Confirmandorum aetatem; II. Disciplina per Codicem I. C. inducta quoad Confirmationis administrationem a simplici sacerdote peragendam; III. Ritus servandus etc. »: quae omnia quam utiliter a cappellanis perpendenda nemo est qui non videat.

11. **De privilegio altaris portatilis.** A. A. S., XXXXVI, p. 250. 9, 3°; p. 407, 3°; XXXXVII, p. 91, 3, 1°.

Missionarii emigrantium, cappellani navigantium et universi Apostolatus maris cappellani [20] eorumque Directores privilegio gaudent *altaris portatilis.*

1. Non parvi interest inquirere quid significetur per verba « altare portatile » et quibus conditionibus concessum fuerit huiusmodi privilegium.

Notum est Missam celebrandam esse super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam iuris (can. 822, § 1).

Duplex, sensu liturgico, distinguitur altare: altare immobile seu fixum, constans ex mensa superiore apte cum stipitibus lapideis (saltem lateralibus) cohaerente, et una cum illis per modum unius consecrata (can. 1197, § 1, 1°); altare mobile seu portatile, quod est petra sacra seu ara portatilis tantum, quae sola consecratur, vel petra cum stipite unita, qui tamen non fuit una cum petra consecratus.

Datur insuper, in ordine ad indulgentias lucrandas, altare fixum in sensu minus stricto: altare scilicet aliquo modo stabile, licet ex ligno confectum. Huiusmodi altare potest esse privilegiatum [21].

---

[20] Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum anno 1953 Archiepiscopo Mechliniensi oratori potestatem fecit permittendi sacerdotibus in portu Antverpiensi Apostolatui maris addictis ut, maritimis itineribus perdurantibus, Missam celebrare et fidelium confessiones excipere valerent.

[21] J. B. Raus, Instit. Can., n. 332, Instit. Morales Alphonsianae, ed. decima nona, t. II, p. 172 in nota.

2. Altare fixum consecrandum est ab Ordinario territorii in quo ecclesia sita est, dummodo ordine episcopali sit insignitus, salvis tamen privilegiis Abbatum et Praelatorum « nullius ».

Altare portatile consecrari potest a quocumque Episcopo, salvis privilegiis Vicarii vel Praefecti Apostolici.

In utroque altari sit sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum.

3. Quoad altaris, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, praeparationem et ornamenta Rubricae generales Missalis Romani (De praeparatione Altaris et Ornamentorum eius sequentia statuuntur: operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae (nisi altare alio modo ornatum sit) usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Super Altare collocetur Crux in medio, cum imagine Crucifixi, palam, visibilis, ac talis magnitudinis ut subito in conspectu veniat celebrantis et populi [22], et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere.

4. In navibus, etsi oratorium habentibus, generaliter inveniuntur tantum altaria mobilia seu portatilia vel ad maximum altaria fixa in sensu minus stricto: quod scitu est utile relate ad indulgentias. Non supervacaneum tamen existimamus quaerere cuiusnam sit altare immobile seu fixum forte existens in oratorio navis consecrare. Iuxta nostram qualemcumque sententiam responsum desumi potest ex analogia ab iis quae habentur in « Exsul Familia », Tit. II, n. 30: ideoque ius consecrandi altare illud immobile seu fixum spectat ad Ordinarium loci cuius territorio adhaeret portus in quo navis habitualiter consistit.

5. Sed aliud est altare portatile sensu liturgico, aliud est altare portatile sensu canonico: hoc, non illud, secumfert facultatem ex iure vel ex apostolico indulto alicui datam *ubique* celebrandi, honesto tamen ac decenti loco, et super petram sacram, non autem in mari aut in cubiculo (can. 822, § 3 et 4), servatis ceteris de iure servandis et praesertim Regulis contentis in Instructione Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Quam plurimum*, edita die 1 octobris MCMXLIX [23] a qua desumimus quae infra, in commodum legentium, recensemus:

---

[22] Decreta authentica S. Rituum Congregationis, n. 2621.

[23] A. A. S., XXXXI, p. 493 s.

« Privati sacelli indulto affine est altaris portatilis, seu arae viaticae, vel gestatoriae aut itinerariae privilegium, eoque latius patet, quippe quod « facultatem secumferat ubique celebrandi, honesto tamen et decenti loco et super petram sacram, non autem in mari » (can. 822 § 3): proinde Missae celebratio nullo circumscribitur loco exclusive divino cultui destinato, qui nec Ordinarii indiget visitatione et approbatione.

Attenta igitur huius favoris maiori amplitudine, eo potiora pertimescenda sunt pericula abusuum iacturaeque decoris augustissimo Missae sacrificio debiti, quod duplici ex capite accidere potest: ex parte loci, si incongruens tanto Mysterio deligatur (v. g. cubiculum); ex parte privilegiati, si tali indulto abutetur, immodice ipsius exercitio fruendo.

Porro haec S. Congregatio privilegium istud concedere solet, ob causam verae necessitatis evidentisve utilitatis atque in finem exclusivum aut potiorem religiosi cultus, solis sacerdotibus, quippe qui maiora perhibeant recti exercitii argumenta.

Praecipui casus, qui frequentius recurrunt, sacerdotes respiciunt animarum curam gerentes inter fideles dissitis locis commorantes, ubi ecclesiae vel desunt omnino vel longe distant, aut in regionibus haereticorum aut schismaticorum (diaspora). Primum accidere solet plerumque in amplissimis regionibus praesertim Asiae et Americae, quas fideles rari et passim diffusi incolunt, qui Sacro assistere nequeunt nisi litetur extra loca sacra et etiam sub dio: v. g. tempore messium.

Locus in quo collocari debet altare portatile congruus et decens seu opportunus et honestus sit oportet, ne propter foeditatem et indecentiam gravis iniuria et irreverentia rependantur in divina Mysteria.

Locus congruus postulat securitatem et amplitudinem, ita ut tute et commode et sine ullo periculo profanationis aut effusionis Ss. Specierum e calice Missa offerri possit: locus decens respicit qualitatem loci, scilicet requirit ut Missa non celebretur in cubiculis in quibus aliquis dormire solet, neve alio loco tanti Sacrificii dignitati incongruenti.

Ad decentiam pertinet etiam locus immediatus nempe mensa super quam collocatur ara viatica: ne videlicet immunda sit neve profanis destinata usibus. Haec vero mensa talis debet esse longitudinis et latitudinis quae tuto valeat lapidem regere, missale sustinere et rectam decentemque celebrationem permittere » [24].

---

[24] Instructio S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 1 mensis octobris 1949, A. A. S., XXXXI, pp. 501-504, II, 1, 4, 7.

6. Quoad conditiones appositas a Sacra Congregatione Consistoriali, etsi aliae appositae sint pro unoquoque coetu vel cappellanorum vel missionariorum, perpendatur oportet unam, sine qua non, esse omnibus communem, Missa scilicet celebrari debet in commodum *fidelium* sacerdoti celebraturo *concreditorum*, vel *maritimorum* vel *in navi versantium*, vel *emigrantium*, minime vero in commodum celebrantis tantum; ita ut omnes fideles qui ipsorum Missae super aram portatilem celebratae assistant, praecepto de Missa audienda rite planeque satisfaciant [25].

Quoad ceteras peculiares conditiones censemus potissimum has esse recolendas. Cappellani navigantium quam maxime curare debent ut quodvis amotum sit periculum effusionis Sacrarum Specierum e calice et alter sacerdos, si adsit in navi, superpelliceo indutus adsistat sacerdoti celebranti.

Cappellanis maritimorum, quibus pariter data est facultas in mari celebrandi, eadem praecipiuntur.

Pro missionariis emigrantium requiritur etiam consensus Ordinarii loci ad habitualiter utendum huiusmodi apostolico privilegio, quum missionarius nulla fruatur exemptione ab Ordinario loci et curam spiritualem fidelium sui sermonis seu nationis sub iurisdictione eiusdem Ordinarii exercere debeat.

12. **Facultas Missam sub dio celebrandi:** A. A. S., XXXXVII, p. 91, 3, 2°.

1. Iisdem conditionibus, missionarii privilegio gaudent quoque celebrandi etiam sub dio, dummodo adhibeatur tentorium quo altare a ventis protegatur ne fragmenta disperdantur, et serventur quae Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum Instructione diei 1 octobris MCMIL statuit [26].

2. Ceterum placet hic referre quae, ad rem pertinentia, desumuntur ab Instructione *Dominus Salvator* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei XXVI martii a. MDCCCCXXIX: de quibusdam vitandis atque observandis in conficiendo Sacrificio Missae et in Eucharistiae Sacramento distribuendo et asservando [27]. « Alia causa dispergendis Eucharistici Sacramenti fragmentis, facile haberi potest, cum, peculiari aliqua circumstantia, sive ex Apost. Sedis indulto, sive facta locorum Ordinariis facultate ex iure id permittendi, sub dio Missa celebratur, flantibus interdum ventis. Ad praecavendam fragmentorum dispersionem, curandum erit quod

---

[25] Sacra Congregatio Consistorialis, ex Audientia SS.mi diei 12 iunii 1953.
[26] A. A. S., XXXXI, p. 493.
[27] A. A. S., XXI, pp. 631-642.

altare, ubi Missa erit litanda, tribus e lateribus, tabulis tegatur; vel tentorium adsit super altare obductum, et ad tria eius latera descendens in formam aediculae, quo ipsum altare a ventis protegatur, vel alia ratione id fiat, consentanea cum reverentia tanto mysterio debita » [28].

13. **Privilegium celebrandi Missae sacrificium nocte Nativitatis Domini et nocte quae intercedit inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii:** A. A. S., XXXXVI, p. 250, 9, 4°. 5°; p. 417, 4°. 5°; XXXXVII, p. 92, 4°. 5°.

1. Duobus, quae supra retulimus, exstantibus temporis adiunctis, norunt omnes Missae celebrationem statutis normis esse obnoxiam, quae absolute urgent, nisi peculiare indultum a Sancta Sede sit concessum.

Codex Iuris Canonici etsi generatim decernat « Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram » nonnullas tamen patitur exceptiones: nocte Nativitatis Domini inchoari potest media nocte sola Mssa conventualis vel paroecialis: in omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate SS. Eucharistiam habitualiter asservandi, unus sacerdos tres ritules Missas vel, servatis servandis, unam tantum celebrare potest (can. 821, § 1, § 2, § 3).

Missa in navibus celebrata, ad normam iuris, paroecialis non potest appellari, licet nonnulli, verbis Constitutionis « Exsul Familia » « proprium est cappellanorum navigantium, itinere maritimo perdurante, curam animarum gerere, excepta re matrimoniali » [29] freti, aliter sentiant. Quod autem in quibusdam navibus exstet legitime erectum oratorium cum facultate SS. Eucharistiam habitualiter asservandi, id ad rem non videtur pertinere, quia non agitur de oratorio domus religiosae vel piae; nec quod cappellani navigantium, si in navi oratorium legitime exstet, congrua congruis referendo, rectoribus ecclesiarum aequiparantur [30]: ut enim supra memoravimus, non persona sed res ponitur in quaestionem. Inde procedit necessitas apostolici peculiaris indulti saltem ad removendam quamlibet dubitandi rationem. Huiusmodi sane indultum obtinet cappellanos navigantium, cappellanos apostolatus maris, et missionarios emigrantium.

2. Eadem verba invenire licet in concessione facta cappellanis sive navigantium sive maritimorum: secumferunt vero facultatem

---

[28] A. A. S., XXI, p. 636.
[29] Exsul Familia, Tit. II, Cap. III, n. 25, § 1.
[30] L. c. n. 26.

sacrificium Missae in navibus celebrandi non tantum in oratorio forte existenti, sed etiam supra altare portatile, dummodo celebrationi Missae praemittantur sacrae supplicationes per spatium saltem dimidiae horae et initium Missae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem; quas conditiones, generaliter impositas a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, peculiaria loci et temporis adiuncta praecipiendas esse suadent praesertim ad tutius removendum quodcumque irriverentiae periculum.

3. Missionarii autem emigrantium, sive cura animarum aucti sive non, vi indulti apostolici facultate gaudent Missam celebrandi ipsa media nocte dummodo sacro litent in commodum fidelium sibi commissorum; cauto tamen, praesertim si pro animarum cura exercenda nulla sit a loci Ordinario statuta ecclesia seu cappella vel oratorium publicum aut semipublicum, ut quodcumque irriverentiae periculum removeatur ceteraque de iure adamussim serventur.

4. Nocte quae inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii labitur, Cappellani omnes navigantium et Apostolatus Maris necnon Missionarii emigrantium, tum curam animarum exercentes tum curae animarum propriae dictae minime demandati, quolibet anno facultate gaudent Missam celebrandi ipsa media nocte, dummodo in christifidelium sibi concreditorum commodum sacro litent et spatio circiter duarum horarum, in hoc comprehenso celebrationis Missae tempore, productae fiant sacrae supplicationes. Ideoque certo certius non parum proderit cuicunque irriverentiae periculo removendo fovendaeque adstantium pietati si Missae celebrationi absolute non detur initium sed supplicationes praedictae ante et post Missam celebratam peragantur.

14. **Privilegium celebrandi unam Missam feria V Maioris Hebdomadae:** A. A. S., XXXXVI, p. 250, 6° et 417, 6°; XXXXVII, p. 92, 6° **adibendique Rituale parvum Benedicti XIII.**

1. In Ecclesia Latina feria quinta Maioris Hebdomadae prohibentur sive in ecclesiis sive in oratoriis omnes Missae privatae, quia generatim hac die et duobus sequentibus diebus prorsus prohibetur Missae ab officiis Tridui sacri seiunctae [31].

Attamen: a) S. R. E. Cardinales facultate gaudent ipsa die celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebrent unam Missam [32];

---

[31] Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, Romae, Typis Polyglottis Vaticanis, n. 980, 1822, 2465.

[32] Can. 239 § 1, 4° C. I. C.

b) Episcopi etiam sive residentiales —dummodo non teneantur celebrare in cathedrali— sive titulares eadem fruuntur facultate [33];

c) Item in oratoriis Regularium proprie dictis, non autem in iis quae ad seminaria et ad pias communitates pertinent nisi adsit apostolicum indultum, una Missa legi potest [34].

Patet igitur necessitas apostolici indulti ut missionariis emigrantium, cappellanis navigantium et cappellanis Apostolatus Maris privatim sacrum facere liceat: quod revera his omnibus Missam, uti liquet, in commodum fidelium sibi concreditorum, celebrare cupientibus benignissime concessit SS.mus Dominus.

2. Eadem die in omnibus ecclesiis, in quibus asservatur Sanctissima Eucharistia, iisque tantum, admittitur Missa *sollemnis* a rectore ecclesiae, vel eius vices gerente, celebranda [35].

De qua sollemni Missa Codex Iuris Canonici agit cum ait: « Expedit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur » [36].

Quae bene respondent normis contentis in Coeremoniali Episcoporum: « Praeparetur vas argenteum, seu aureum cum multis particulis consecrandis, pro communicandis canonicis, et clero » [37].

3. In ecclesiis paroecialibus minoribus, ubi sacrae functiones *sollemniter* peragi nequeunt, adhiberi potest forma parvi Ritualis, Benedicti XIII iussu editi; in ecclesiis vero quae non sunt paroeciales (in oratoriis religiosorum, hospitalium, carcerum etc.), praedictum Rituale parvum Benedicti XIII nequit, sine indulto, adhiberi [38].

Qui hoc indulto utuntur, etsi teneantur sacras functiones diei Parasceves peragere, Sabbato Sancto officium ac Missam celebrare non tenentur [39].

Quae omnia iure meritoque heic recolimus quum Missionariis emigrantium, cappellanis navigantium et cappellanis Apostolatus Maris, ex apostolico indulto SS.mi Domini Nostri Pii Divina Providentia PP. XII [40], facta sit facultas utendi Hebdomada Maiori parvo Rituali Benedicti XIII.

---

[33] Can. 349 § 1, 1° C. I. C.

[34] Ordo Divini officii recitandi sacrique peragendi pro Clero Saeculari Romano pro anno Domini 1954 - Libreria editrice Vaticana, 1953, p. 48.

[35] Decreta authentica Congregationis SS. RR., n. 3390.

[36] Can. 862, C. I. C.

[37] Caeremoniale Episcoporum, l. II. c. XXIII, 3.

[38] Decreta authentica Congregationis SS. RR., n. 3837, 2099.

[39] ibidem., n. 3390.

[40] Ex Audientia SS.mi, diei XII Februarri 1954, B

15. **Privilegium Missam bis vel ter celebrandi diebus dominicis et festis de praecepto; idemque peragendi diebus feriis:** A. A. S., XXXXVI, p. 251, 7° et 417, 7°; XXXXVII, p. 91, 3°.

1. Facultatem bis vel ter litandi diebus festis de praecepto SS.mus Dominus sacerdotibus de quibus agitur non directe concessit sed Sacrae Congregationi Consistoriali (die 12 iunii 1953) potestatem fecit talem facultatem concedendi unicuique missionario et cappellano firmis tamen a iure communi statutis sarctisque conditionibus quibusdam.

Revera Sacra Congregatio Consistoriali facultatem concedit:

a) in primis quoties necessitas urgeat consulendi spirituali emigrantium vel navigantium vel maritimorum bono per Missae celebrationem utpote adimplendo praecepto de sacro audiendo. De huiusmodi observantia edicitur: onerata super hoc Directoris missionariorum conscientia. Nos autem inspectis litteris concessionis et habita insuper ratione de Legislatoris mente addimus, « onerata Directoris cappellanorum conscientia » quantum ipsis fas est operam dare ut omnia salutaria praecepta adamussim serventur.

b) remoto quocumque admirationis vel scandali periculo:

c) vetita celebranti eleemosynae seu stipendii perceptione pro duabus Missis ad tramitem can. 824 § 2 C.I.C., onere vero imposito sive missionariis sive cappellanis navigantum (Ex Audientia SS.mi diei IV Ianuarii 1929, n° 18/29) alteram Missam applicandi ad mentem Sacrae Congregationis Consistorialis;

et, si agatur de Missionariis qui in continenti terra celebrent:

d) de Ordinarii loci consensu, et

e) tertia tandem Missa non celebretur in ecclesia ubi aliae duae sint celebratae, si id fieri potest absque gravi incommodo,

f) servatisque ceteris de iure servandis.

2. Ac porro prae oculis habito exiguo missionariorum et cappellanorum numero, inspectis peculiaribus circumstantiis in quibus versantur fideles eisdem commissi ac praesertim attenta difficultate advocandi una simul in unum eumdemque locum eodemque tempore fideles in dissitis imperviisque interdum locis extantes, « la grande étendue des ports (Anvers, Rotterdam, Hambourg, Le Havre, etc.) est un obstacle — aiebat Director Nationalis Galliae Operis Apostolatus maris — à la pratique religieuse pour les marins. On ne peut raisonablement leur demander de faire 5, 10, 15 Kilomètre pour venir assister à la Messe. D'où la necessité pour l'Aumônier de pouvoir célébrer deux et trois Messes en des « points de ren-

contre » où les marins pourront se grouper ». Expostulatum est a Sanctissimo Domino ut Sacram Congregationem Consistorialem potestate augeret concedendi facultatem binationis et trinationis missionariis et cappellanis etiam diebus feriis;

quam gratiam Sanctissimus Dominus omnibus mature perpensis iisdemque ac supra permanentibus conditionibus die 3 octobris 1953 benignissime concedere dignatus est.

Ideoque in Indice haec verba habentur: « Facultas bis vel ter litandi diebus dominicis et festis de praecepto necnon *feriatis* ».

3. In lucem autem his verbis editis, quaesitum est: quinam dies intelligendi sunt per verbum *feriati?* Dies nempe qui uti tales describuntur in codice Iuris Canonici, can. 1639 § 1, vel potius dies qui communiter « feriae » dicuntur qui etiam feriales consuescunt vocari?

Responsum apprime patet, quidquid sit de usu verbi « feriati », ex terminis ipsius concessionis de qua iam locuti sumus: per verba « dies feriati » intelligendi sunt omnes anni dies qui nec sub nomine « dies dominica » nec sub appellatione « festum de praecepto » ulla ratione veniunt.

Insuper quod spectat verbum « feriatus » neminem pigeat ea quae sequuntur breviter recolere. Duplici modo accipi potest verbum « dies feriatus »: altera significatione, classica et iuridica, altera, vero, ut ita dicam a vulgo sumpta vel potius in liturgia adhibita.

Patet enim sensu classico *ferias*, dies *feriatos* idem valere ac dies festos, in quibus a pubblicis curis et negotiis necnon a forensibus actibus quisquis vacare tenetur; e contra vulgari sensu, quem maluerim liturgicum appellare, dies feriati intelligendi sunt « dies profesti » (italice non festivi, di lavoro) iuxta illa quae habentur in Breviario Romano quando de Sancto Silvestro Summo Pontifice agitur: « Sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquos habdomadae dies *feriarum* nomine distinctos, ut iam ante in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit, quo significaretur, quotidie clericos, abiecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere » [41].

---

[41] Breviarium Romanum, die 31 Decembris, S. Silvestri I Papae et Confessoris, Lectio VI Cfr. etiam Moroni, Dizionario di erudizione Storico-Ecclesiastica, « Feria », ed. in Venezia, Tip. Emiliana MDCCCXLIII, p. 306, col. 1.

16. **De Missa horis vespertinis**: A. A. S., XXXVI, p. 251, 8° et 417, 8°; XXXXVII, p. 92, 7°.

Standum est decretis S. Officii.

1. Quoad Missam horis vespertinis in missionibus emigrantium et in portibus celebrandam, missionarii et cappellani recurrere debent ad Ordinarium loci, iuxta ea quae habentur in Constitutione Apostolica de disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum, VI [42], et in Instructione Supremae Sacrae Congregationis S. Officii de disciplina circa ieiunium eucharisticum servanda: « quoad Missas vespertinas » [43] in qua peculiaris mentio habetur « operariorum muneribus portuum addictorum ».

2. Quibus promulgatis, prae oculis habitis monitis praedictae Instructioni adnexis, scilicet Constitutionis atque Instructionis interpretationem textui fideliter adhaerendam esse neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificandas, statim Sacra Congregatio Consistorialis, spirituale bonum apprime intendens maritimorum, qui maritimum iter apparaturi nec matutinis nec vespertinis horis saepe saepius valent Sacro adsistere, dubium posuit Supremae Sacrae Congregationi S. Officii cuinam Ordinario competeret facultatem concedendi Missae celebrationem vespertino tempore in mari itinere maritimo perdurante.

Etenim Sacra Congregatio Consistorialis die 26 februarii, anno 1953, ad Sacram Congregationem S. Officii hanc, quae sequitur, misit epistulam:

« In Instructione ' De disciplina circa jejunium Eucharisticum servanda' ab ista Sacra Congregatione die 6 januarii anno currenti edita, quoad Missas Vespertinas declaratur, vi Constitutionis Apostolicae *Christus Dominus* Ordinarios locorum facultate frui permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem etc... pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti... (A.A.S., XXXXV, pag. 50, s.).

Nunc autem, exorto dubio, Sacra haec Congregatio humiliter postulat: 1. ut inter praedictos operarios annumerentur etiam qui navibus addicuntur *maritimo itinere perdurante;* 2. ut Ordinarius competens ad praefatam facultatem elargiendam sit ille cuius territorio adhaeret portus in quo navis habitualiter consistit, ad quem spectat jus erigendi et benedicendi oratorium in navi, ad normam n. 30, tit. alt. Constitutionis Apostolicae « Exsul Familia » (A.A.S., XXXXIV, pag. 699) ».

[42] A. A. S. XXXXV, pp. 22-23.

[43] Ibidem: pp. 49-50.

Sacra Congregatio S. Officii litteris (prot. n. 404/46) die 8 maii 1953, Sacrae Congregationi Consistoriali datis respondendum curavit: « *Pro gratia* » ad utrumque.

3. Quam responsionem Suprema Sacra Congregatio confirmavit ac publici iuris reddidit per Decretum de Missa vespertina in mari, die 31 maii 1953 promulgatum [44], ad quod remittunt Normae et Facultates pro Cappellanis sive navigantium sive maritimorum.

17. **Facultas absolvendi, itinere maritimo perdurante, poenitentes quoslibet a censura quam incurrunt abortum procurantes:** A. A. S., XXXXVI, p. 251, 9° et 417, 9°.

Huiusmodi censura est excommunicatio latae sententiae Ordinario reservata: quam incurrunt procurantes abortum, matre non excepta, effectu secuto (can. 2350 § 1, C. I. C.).

Attenta difficultate adeundi Ordinarium itinere maritimo perdurante Sanctissimus Dominus Noster concedere dignatus est sive cappellanis navigantium sive cappellanis maritimorum seu Apostolatus maris facultatem illam quae ex iure propria est Ordinarii.

Memorati cappellani hac utentes facultate iniungant poenitentibus obligationes de iure iniungendas in singulis casibus iuxta regulas a probatis auctoribus traditas: tamen, si agatur de irregularitate exorta ex procuratione abortus, recurrendum est pro dispensatione ad Sacram Poenitentiariam.

18. **Facultas absolvendi, itinere maritimo perdurante, apostatas, haereticos et schismaticos:** A. A. S., XXXXVI, p. 251, 10° et 417, 10°.

1. Ut recte intelligas quinam sub nomine apostatae, haeretici et schismatici iure communi veniant, recolas oportet can. 1325 § 2 C. I. C. ubi haec habentur:

« Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, *haereticus;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostata;* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, *schismaticus* est ».

Ad pleniorem rerum intelligentiam haec addidisse iuvat: *Haeresis* est error seu dubitatio pertinax contra fidem catholicam, in eo qui baptismum et fidem recepit.

---

[44] A. A. S., XXXXV, p. 426.

Distinguitur haeresis multipliciter:

1° - Ratione peccati, est *formalis*, si quis errori cum pertinacia, i. e. *sciens*, *volens*, adhaereat; vel *materialis*, si est error in intellectu, sine pertinacia in voluntate.

2° - Ratione actus, est *interna*, si in mente latet; vel *mere externa*, si quis ore vel coram idolo se prosternendo, negat fidem, quam corde retinet: vel *externata* seu *manifestata*, si est in mente et exterius producitur.

3° - Ratione manifestationis, est *occulta*, si nemini vel paucis tantum innotescit; et *publica*, si plurimis nota est, nec potest celari.

Apostasia est totalis discessio a fide christiana per *baptismum suscepta*. Apostasia tamen non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravatam [45].

Ad crimen apostasiae non requiritur falsae alicuius religionis professio. Quare, nomine apostatarum veniunt etiam *massones* (saltem plerique), *nihilistae*, *anarchistae*, *communistae* [46], non pauci *socialistae proprie dicti*, *liberi cogitatores*, *rationalistae*, *deistae*, *pantheistae*, *spiritistae*, et generatim illi omnes qui post susceptum baptismum a christiana fide penitus recesserunt, quamvis ad iudaismum, vel ad aliam infidelitatem non transierint.

2. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici excommunicationi speciali modo S. Sedi reservatae subiacent (Can. 2314, § 2).

Ad haeresim, quae canonicis plectitur poenis, requiritur:

a) ex parte *personae*, retenta professio christianae religionis, et baptismus valide susceptus (catechumenus enim nondum potest ab Ecclesia puniri);

b) ex parte *intellectus*, error vel dubitatio formata, i. e. assensus, seu iudicium formatum;

c) ex parte *voluntatis*, pertinacia, qua quis Ecclesiae, infallibiliter docenti, scienter et volenter iudicium suum submittere non vult (quod est characteristicum huius peccati); non tamen requiritur ut quis mordicus et cum temporis mora tali errori adhaereat;

d) ex parte *materiae*, error contra *fidem divinam* et *catholicam*, i. e. contra aliquod fidei punctum, ab Ecclesia explicite definitum vel propositum ut credendum tamquam divinitus revelatum;

---

[45] Divi Thomae Aquinatis, Summa Theologica, Secunda secundae, q. XII, a. I, ad 3um.

[46] A. A. S., XXXXI, p. 334.

e) ex parte *actus*, ut error sit externatus, sive facto, sive verbo indicante haeresim internam.

Censura igitur attingit *apostatas* et *haereticos*, qui contra fidem peccant actu interno et externo; pariterque *schismaticos*, i. e. illos qui subesse renuunt Summo Pontifici, aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant. Non sequitur igitur ut novam constituant sectam religiosam, vel sectis iam contitutis nomen dent.

3. *De conversis ab haeresi.*

Nulla peculiari indiget confessarius facultate ut haereticum, ad catholicam fidem conversum, si fuit tantum haereticus *materialiter*, in foro interno valeat, absolvere; item, si fuit haereticus formaliter, sed *nescius* excommunicationis formali haeresi adnexae (excommunicatio enim a nesciente non incurritur) — dummodo tamen non agatur de haeretico alicui sectae adscripto vel notorio.

Haereticus *notorius*, vel sectae adscriptus, debet in *foro externo*, i. e. coram Ordinario loci vel eius delegato, et saltem duobus testibus, abjurare [47].

4. *De haereticorum absolutione.*

1. *Quivis confessarius potest absolvere* tum reos haeresis merae internae tum etiam haereticos qui nullam incurrerunt censuram, sicut iam innuimus.

2. Solus *Romanus Pontifex* absolvere potest (per se vel per delegatum) haereticos notorios aut occultos, qui censuram incurrerunt, nam: haec censura est speciali modo Sedi Apostolicae reservata sicut iam innuimus.

3. *Ordinariis* jus est, sua auctoritate ordinaria, praevia abjuratione aliisque servatis de iure servandis, absolvere in foro exteriore haereticos, apostatas et schismaticos censura innodatos, quorum delictum ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem. Ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a *quolibet confessario* in foro conscientiae. Abjuratio vero habetur juridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus (Can. 2314, § 2) [48].

---

[47] Institutiones Morales Alphonsianae, cura et studio PP. CL. Marc et Fr. X. Gestermann: Editio decima nona, quam denuo sedulo recognovit P. J. B. Raus, C. SS. R. Typis Emmanuelis Vitte, Lugduni-Lutetiae Parisiorum, 1934. Tomus Secundus, p. 370, N. 1833, 1.

[48] Ibidem, p. 283. n. 444, I.

5. In reconciliandis haereticis triplex, pro diversitate casuum, distinguitur procedendi modus:

— 1°. Si prior Baptismus certo validus iudicatus fuerit, « *sola* recipitur *abjuratio*, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur » [49];

— 2°. Si de prioris Baptismi nullitate constet, baptismus *absolute* confertur, nec ulla sequitur abjuratio, aut absolutio, eo quod sacramentum regenerationis omnia abluit;

— 3°. Si Baptismus sit *sub conditione* iterandus, hoc ordine procedendum est:

a) Fiat abjuratio, seu professio fidei, coram duobus testibus, iuxta formulam a S. Officio praescriptam;

b) Subsequatur Baptismus conditionatus: habetur *Formula brevior Baptismi conditionati* pariter a Suprema S. C. S. Officii evulgata;

c) Impertiatur conditionata censurae absolutio iuxta formulam a S. Officio editam;

d) Peragatur sacramentalis confessio cum absolutione peccatorum pariter conditionata.

6. Quoad modum absolvendi ab excommunicatione cappellani quorum intersit illa prae oculis habeant quae hac in re Codex Iuris Canonici edicit:

a) In foro sacramentali quisquis a censura absolvitur per consuetam formam absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescriptam, lege Rituale Romanum iussu Sanctissimi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis Iuris Canonici accomodatum, Tit. III, Cap. II;

b) In foro non sacramentali ad excommunicationis absolutionem impertiendam regulariter forma adhibeatur oportet in iisdem libris tradita, nempe in memorato Rituali, Tit. III, Cap. II in quo agitur de modo absolvendi ab excommunicatione extra sacramentalem Confessionem; ad usum vero Episcoporum alteram Pontificale Romanum praecepit formam quae inscribitur « ordo excommunicandi et absolvendi » quaeque etiam simplici Sacerdoti, saltem ut rectius ac satius valeat sacros Ecclesiae ritus explicare, absque dubio perutilis scitu erit.

7. Neque absoluta vero est huiusmodi facultas, sed nonnullis terminis circumscribitur:

---

[49] S. C. S. Officii, die 20 Julii 1859, Coll. Lac., III, p. 550.

a) In primis absolvi non possunt « haeretici inter fideles haereses e proposito disseminantes, tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas »: sive ob rationes faciles intellectu sive ex eo quod ipsa Sacra Poenitentiaria Apostolica hanc facultatem pro foro interno concedens, eosdem excludere solet.

b) Servatis ceteris quae a Sacra Poenitentiaria huiusmodi in adiunctis imponi solent: liquet tamen ea quae a Sacra Poenitentiaria in casu imponuntur pro foro interno, congrua congruis referendo, applicanda esse pro foro externo.

Quibus positis non supervacaneum videtur nonnulla recensere inter ea quae a Sacra Poenitentiaria imponi consuescunt: poenitens non absolvatur nisi magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, Supremae S. Congregationi S. Officii per se, vel, de eius venia, per ipsum sacerdotem denunciaverit; et quatenus ob iustam causam huiusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denuntiationem ipsam peragendi cum primum et quo meliore modo fieri poterit; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentatione Sacramentorum et obligatione se, prudenti iudicio absolventis, retractandi apud personas coram quibus haereses manifestaverit, atque illata scandala reparandi.

19. **Directoribus Nationalibus Apostolatus Maris facta est facultas excipiendi confessiones in locis prope ora maritima suae nationis:** A. A. S., XXXXVI, p. 251, 11°.

De Directoribus Nationalibus Apostolatus Maris haec anno 1953 Sacrae Consistoriali Congregationi comperta sunt: « Au cours des visites incessantes qu'il fonts tout au long des côtes de leur pays, les Aumôniers Nationaux sont fréquemment sollicités d'entendre les confessions, sans qu'ils aient le temps de recourir à l'Ordinaire du lieu. En particulier, les prêtres sont heureux de pouvoir profiter du passage d'un prêtre etranger pour se confesser »: exinde pro iisdem Directoribus Nationalibus expostulata fuit facultas confessiones excipiendi cuiuslibet fidelis ad se accedentis in locis prope universa ora suae nationis.

Sanctissimus Dominus Noster die 31 augusti 1953 Sacrae Congregationi Consistoriali remisit ut Directoribus Nationalibus, iisque tantum, concederet facultatem praedictam, dummodo isti (Directores) approbati fuerint a proprio Ordinario ad excipiendas confessiones.

20. **Facultas benedicendi sacram supellectilem:** A. A. S., XXXXVI, p. 251, 12° et 418, 11°; XXXXVII, p. 92, 8°.

1. Sive missionarii emigrantium cura animarum praediti sive cappellani navigantium si in navi oratorium legitime exstet, nulla peculiari facultate indigent ad sacram supellectilem benedicendam. Etenim vi Constitutionis Apostolicae « *Exsul Familia* », Titulo altero, articulo 35, missionarii cura anmiarum praediti parochis, cappellani vero navigantium vi articuli 26 Constitutionis eiusdem rectoribus ecclesiarum aequiparantur.

Neminem praeterit parochum pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectorem ecclesiae pro sua ecclesia potestate ordinaria, id est vi muneris, pollere benedictionem sacrae supellectilis, quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire posse.

Ideoque cum, congrua congruis referendo, missinarii emigrantium cura animarum parediti iisdem facultatibus potiantur quibus parochi fruuntur, asserere licet ad huiusmodi missionarios vi muneris spectare potestatem benedicendi sacram supellectilem intra fines presse circumscriptos Missionis sibi concreditae; pariterque patet eamdem facultatem vi muneris spectare ad cappellanos navigantium pro oratorio navis sibi cuique demandatae.

2. Sacra igitur Congregatio Consistorialis hac in re peculiariter perspexit missionarios et cappellanos universos sive navigantium sive maritimorum qui minime inveniantur in conditionibus supra expositis.

Attentis insuper peculiaribus locorum ac rerum adiunctis, nec semper nec ubique difficultatibus expertibus, quibus istorum ministerium urgetur, in commodum illorum, facultate apostolica sibi collata, privilegium elargita est benedicendi sacerdotalia indumenta, mappas et tobaleas seu linteamina altaris, corporalia, tabernacula seu vascula pro sacrosancta Eucharistia conservanda, et cetera quae ad divinum cultum inserviunt, adhibitis ut patet formis quae habentur in Rituale Romano, quae omnes reservatae sunt sacerdoti potestate praedito.

3. Non est cur addamus huiusmodi privilegio missionarios et cappellanos frui nedum durante munere tantum sed solummodo intra fines sibi praestitutos: ideoque Director nationalis praedicta facultate pollere censendus est in tota natione quoadusque suae iurisdictionis fines extenduntur, simplex missionarius vero et cappellanus tantum intra fines missionis vel portus vel navis cui ipse forte sit addictus.

21. **Facultas benedicendi rosaria, cruces, parvas statuas et numismata:** A. A. S., XXXXVI, pp. 251, 13° et 418, 12°; XXXXVII, **p. 92, 9°.**

Missionariis emigrantium, cappellanis navigantium et cappellanis maritimorum universis facta est facultas benedicendi « ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, cruces, parvas statuas et numismata; adnectendi insuper coronis indulgentias a S. Birgitta et a Patribus Crucigeris nuncupatas ».

1. Perpendas in primis verba: « ritibus ab Ecclesia praescriptis » Illa verba revera eadem sunt ac habentur in can. 349 § 1, 1° in quo recensentur privilegia quibus fruuntur Episcopi sive residentiales sive titulares. Iidem etenim vi can. 349 § 1, 1° ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis facultate gaudent benedicendi ubique, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas etc. ».

Solummodo S. R. E. Cardinales vi iuris communis fruuntur facultate illa peragendi solo signo crucis (Can. 239 § 1, 5°).

Quoad ritus igitur adhibendos missionarii et cappellani uti debent peculiaribus formis quae suis in locis prostant in Rituali Romano, utpote v. g. in Appendice sub nn. 35, 36, 39 etc. in quibus habentur formae benedictionis coronarum sive Sacratissimi Rosarii B. Mariae Virginis propria Ordinis Praedicatorum sive S. Birgittae propria Ordinis SS.mi Salvatoris.

2. Secundo recolas pariter facultatem quae vi praesentis concessionis fruuntur missionarii et cappellani non eadem amplitudine patere ac facultatem Episcoporum: hanc enim ubique illa vera tantum iis terminis circumscribitur quo officium commissum.

3. Quid intelligi debeat per verba « cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis » superest edisserendum.

Nostra equidem sententia comprehenduntur praeter ceteras etiam illae Apostolicae Indulgentiae quas Summus Pontifex die XII martii a. MCMXXXIX benigne concessit [50].

Unum tantum addere liceat de facultate adnectendi coronis indulgentias a Patribus Crucigeris nuncupatas, cum de benedictione coronarum S. Birgittae iam supra breviter locuti simus.

[50] A. A. S., XXX, p. 132, Sacra Paenitentiaria Apostolica (Sectio de Indulgentiis) - Indulgentiae Apostolicae quas Summus Pontifex Pius PP. XII, in Audientia infrascripto cardinali Paenitentiario Maiori die 11 Martii 1939 impertita, benigne concessit christifidelibus, qui aliquod pietatis vel religionis obiectum, a se vel a sacerdote potestatem habente benedictum, possident ac peculiaribus imperatis conditionibus satisfecerunt ».

Ac tandem fere ad verbum concilii Lateranensis IV praescripta confirmans Codex I. C. can. 859 sequentia praecipit: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ».

2. Tempus Paschatis ab Ecclesia assignatum est, non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, ita ut praeceptum paschalis communionis adhuc urgeat si quis praescripto tempore, quavis de causa illud non impleverit (can. 859 § 4).

Tempus paschale ad adimplendum praeceptum incipit dominica Palmarum et absolvitur dominica in Albis. Iure tamen communi locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis » (can. 859 § 2).

3. Benignissime Sancta Mater Ecclesia spirituali bono fidelium emigrantium, maritimorum et navigantium consulere sategit: siquidem, inspectis peculiaribus personarum et locorum adiunctis, indulsit ut supra memorati christifideles per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis suscipiendae satisfacere valeant.

4. Ad pleniorem rei et concessionis notionem, sufficit tantum pauca innuere de nautis.

Nautae, officii sui ratione, sive in onerariis navibus extantes sive in altum piscantes, per maiorem partem non tantum anni sed et ipsius vitae suae ab Ecclesiae ministerio revera intercluduntur. Raro enim-vero die dominica adsunt in portibus nam, impensis parcendi causa, naves saepius ad mare mittuntur sabbato, non ante feriam II ad sua redituraе: si quando, vero, in portu naves exstant die dominica, reparationis causa id accidit ita ut nautae laborare debeant per totam diem etsi dominicam. Nec dicam de navibus piscatoriae arti addictis quae mane ad portum appellant insequenti nocte iterum ad mare exiturae aut vicissim.

Hac igitur concessione usi, cappellani et missionarii, qui pro animarum necessitatibus impares omnino sunt numero, quovis anni spatio possunt christifideles sibi concreditos, etsi infrequentes occurrant, ad paschale praeceptum satisfaciendum urgere, iis sane

Indulgentias adnexas rosariis benedictis a Patribus Crucigeris illas intelligas quae a Romanis Pontificibus adnexae fuerunt rosariis benedictis a Magistro Generali Ordinis Sanctae Crucis vel a Sodalibus eiusdem Ordinis; nimirum sunt: indulgentiae quingentorum dierum quoties in rosariis per Crucigeros sane benedictis oratio dominica vel salutatio angelica devote dicatur; ad has autem indulgentias acquirendas minime necesse est ut quis integrum Rosarium devote recitaverit [51].

PARS TERTIA

22. **Licet emigrantibus, navigantibus et maritimis per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis satisfacere:** A. A. S., XXXXVI, pp. 251, 10 et 418, 9; XXXXVII, p. 92, 4.

1. Christus Dominus noster vivificis suis verbis « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (Io. VI, 54) praeceptum SS.mam Eucharistiam sumendi hominibus dedit. Quod divinum praeceptum sancta mater Ecclesia suis legibus urget. Solemni etenim sanctione oecumenici concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, celebrem canonem XXI promulgavit, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis confessio praescribitur et sacra Communio hisce quidem verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum » [52].

Sacra Congregatio de Sacramentis anno MDCCCCX die VIII mensis Augusti mirabili decreto « *quam singulari* »: de aetate admittendorum ad primam communionem Eucharisticam, novas sapientissimasque dedit normas quibus removerentur abusus et pueris aetate qua ratiocinari incipiunt, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra, facta est obligatio utrique praecepto Confessionis et Communionis satisfacendi ita ut iidem vel a teneris annis Jesu Christo adhaerere, Eius vitam vivere, ac tutelam invenire queant contra corruptelae pericula [53].

---

[51] Decretum S. C. Indulg. 15 Maii 1884: Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, vol. II, Romae, ex Typographia Polyglotta, MCMVII, p. 200, n. 1616.

[52] A. A. S., II, p. 578.

[53] A. A. S., II, pp. 577-583.

adhibitis apostolatus rationibus et caerimoniarum solemnitatibus quae temporis et loci adiuncta suadent.

5. Ad locum quod attinet, in quo communio paschalis recipi possit, fideles olim tenebantur sacrae synaxi in propria paroecia interesse, ut pastor cognoscere pressius valeret oves suae curae commissas.

Mutatis in praesens adiunctis, vi ecclesiasticae disciplinae vigentis tantummodo suadetur fidelibus, ut in sua quisque paroecia huic praecepto satisfaciant; qui vero in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere » (can. 859 § 3).

Quae novissima verba si attente perpendas una simul cum iis quae habentur in *Exsul Familia* tit. alt. art. 46 « Ordinarios ne pigeat exhortari parochos, ut fideles suos demigratos pastorali sollicitudine prosequi usque pergant » facile intelliges rem sane utilem missionarios et cappellanos facturos, si de adimpleto paschali praecepto ex parte migrantium, istorum parochos pro posse edocere contendant.

6. De coetero haec quae supra significavimus non novissima prolata videntur cum apprime conveniant iis quae de Italis extra Italiam « in locis, ubi liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis non existat », iam anno 1596 Clemens VIII statuit, nempe: « Cum vero Itali praedicti ex Italia recedunt ad morandum seu inhabitandum in partibus praedictis, id significent suis Ordinariis vel inquisitoribus locorum, a quibus serio admoneantur, ut in eis perpetuo catholicam et orthodoxam fidem constanter retinentes et profitentes, piam et catholicam vitam ducant, dominicos et festos dies, abstinentias, et sacra ieiunia ab Ecclesia praecepta religiose colant, atque omnem haeresim et errorem, haereticos, schismaticos et ab ortodoxa fide aberrantes fugiant et evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, et sanctissimae Eucharistiae perceptione per eos factas fidem seu testimonium ipsis Ordinariis, vel inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod et Nos dictos Italos, tenore praesentium, teneri et obligatos esse decernimus et mandamus » [54].

---

[54] Bullarium Romanum, t. X, Augustae Taurinorum, MDCCCLXV, p. 279: « Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis non existat, n. 3.

23. **Christifideles qui assistunt Missae in altare portatili a missionario itemque a cappellano sive navigantium sive maritimorum celebratae satisfaciunt praecepto de sacro audiendo:** A. A. S., XXXXVII, 92, 5.

Inter requisita ad Missae auditionem festis de praecepto diebus certo certius recolatur oportet *locus debitus*.

Ex iuris communis principiis eruitur legi de audiendo Sacro plaene riteque satisfacere illum qui Missae adest sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semipublico, immo et quocumque catholico ritu, celebratae (can. 1249).

Ad removendam quamlibet dubitationis vel anxietatis causam, attento privilegio altaris portatilis quo, ut supra recensuimus n. 11 missionarii et cappellani fruuntur, SS.mus Dominus concedere et declarare dignatus est fideles qui Missae a missionario vel cappellano supra aram portatilem quocumque loco et etiam sub dio celebratae, rite ac recte satisfacere praecepto de sacro audiendo.

24. **Christifideles lucrari valent Indulgentiam toties quoties in oratorio navis et in oratorio missionis die secunda mensis augusti:** A. A. S., XXXXVI, pp. 251, 11 et 418, 10; XXXXVII, p. 92, 6.

De indulgentia Portiunculae apprime scire quae sequuntur oportet.

1. Qui indulgentiam Portiunculae lucrari cupiat, is admissa sua confiteatur, ab iisque, si opus sit, absolutus, Sacra de altari libet; ecclesiam vel oratorium, privilegio ditata, invisat, precesque ad mentem Summi Pontificis de more fundat, idest saltem sexies *Pater*, *Ave* et *Gloria* in unaquaque earum visitationum, quas ad Indulgentiam iterum iterumque impetrandam rite peragat.

2. Ordinariis locorum, parochis et ipsis rectoribus aedium sacrarum, in quibus privilegium insit, facultas esto, si quidem iustis de causis id expedire iudicaverint, pro altero mensis augusti die, qui dominicus non sit, substituendi ad indulgentiam lucrandam, diem dominicum proxime insequentem [55].

3. Ex iure communi, ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit [56].

---

[55] Enchiridion Indulgentiarum. Typis Polyglottis Vaticanis, Editio altera MCMLII, p. 533, n. 698.

[56] Can. 923, C. I. C.

4. Privilegium Portiunculae concessum oratoriis navium et oratoriis seu cappellis missionum his verbis absolvitur: « Christifideles in navibus versantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties consequi valent quoties oratorium in navi legitime extans, ubi sanctissima Eucharistia ex apostolico indulto custoditur, pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint »; « Fideles emigrantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties valent consequi quoties oratorium seu cappellam missionis ubi sanctissima Eucharistia legitime custoditur pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaque visitatione devote recitaverint ».

25. **Christifideles lucrari valent Indulgentiam toties quoties pro defunctis applicandam die secunda novembris in oratorio navis:** A. A. S., XXXXVI, pp. 252, 12 et 418, 11.

1. Nulla peculiari explicatione indigere videntur huiusmodi spiritualia privilegia quae his verbis exprimuntur: « Christifideles in navibus versantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam pro defunctis applicandam die II novembris, toties consequi valent quoties Oratorium in navi legitime extans, ubi sanctissima Eucharistia ex apostolico indulto custoditur, pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint ».

2. Unum tamen addere licet eo quod in « Normae et Facultates pro sacerdotibus in spiritualem emigrantium curam incumbentibus » nulla mentio inveniatur de indulgentia die II novembris pro defunctis adsequenda. Ratio est quia emigrantibus, hac in re, praesto sunt normae generales a Pio PP. XI datae, quas hic, missionariorum commoditati libenter recolimus.

Fidelibus, die quo Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum celebratur vel die dominico proxime insequenti, *quoties* aliquam ecclesiam aut publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum oratorium defunctis suffragaturi visitaverint, conceditur: *Indulgentia* plenaria animabus in purgatorio detentis tantummodo applicabilis, si praeterea sacramentalem confessionem instituerint, sacram Communionem susceperint et sexies *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad mentem Summi Pontifici in unaquaque visitatione recitaverint [57].

IOSEPHUS FERRETTO

[57] Enchiridion Indulgentiarum, editio altera, Typis Polyglottis Vaticanis, MCMLII, 590, p. 455 s.

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DE CAPPELLANIS MILITUM RELIGIOSIS

Adnotationes ad Instructionem S. C. de Religiosis diei 2 febr. 1955 (Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, vol. LXXX (1955), pp. 32-36)

1. **Occasio et character Instructionis**

Instructio non derogat canonibus de vita communi servanda a religiosis, de necessitate licentiae apostolicae ad munera incompatibilia cum disciplina religiosa, etc. Concedit quidem facultatem dandi licentiam absentiae a domo religiosa ratione adsistentiae militibus; sed in se videtur transitoria et circumstantialis, licet indefinitae durationis. Constat ex motivatione: « Sacrorum administri e clero saeculari, *cum numero non sint saepe sufficientes...* »: ubi sufficientes sint, Instructio vacat. Similiter in art. I, n. 1: « Munus Cappellani militum non est accipiendum, nisi vera cogit necessitas, scilicet *cum Cappellani e clero saeculari desiderantur* ».

Ceterum, pro vita ministeriali Cappellani religiosi remittitur ad Instructionem S. C. Consistorialis 23 aprilis 1951 (art. V, 1): nostra Instructio sistit in documentis tradendis pro vita religiosa tutenda et periculis a Cappellanis religiosis avertendis.

2. **Tempus applicationis**

In iis quae magis peculiaria sunt datur pro tempore pacis. Ita art. II agit de condicionibus ad munus Cappellani necessariis *tempore pacis*. Et in art. V, n. 10 legitur: « Quae articulis IV et V praescribuntur observari debent etiam *tempore belli* ». Ceteri articuli, per exclusionem, intelliguntur de tempore pacis. Plura praeterea non habent applicationem nisi tempore pacis, quia tempore belli in pluribus non est locus optioni.

3. **Subiectum Istructionis**

Licet in titulo et in decursu Instructionis nominentur ut plurimum tantum *religiosi*, Instructio comprehendit etiam sodales Societatum vitae communis sine votis publicis. In praefatione legitur: « ... Vicarii castrenses ad sacra munia in militum commodum exercenda quandoque *Religiosorum vel Societatum vitae communis sodales* oportet adsciscant ». Ratio Instructionis (suplere clerum saecularem) et incompatibilitas muneris Cappellani militaris (extra domum continenter gerendi; cfr. art. I, 1) cum obligatione vitae communis,

postulat applicationme disciplinae huius Instructionis Societatibus vitae communis.

Immo de facto praeferendi sunt ad huiusmodi munus sodales Societatum sine votis, utpote quarum disciplina est magis adoptabilis formis saecularibus. Instructio non tenet Instituta saecularia, quae generatim non observant vitam communem, vel si eam observent non agitur de vita communi canonica [1].

Aliquae dispositiones dantur pro religiosis vel sodalibus Sociatatum vitae communis qui remanent in propria communitate et officium Cappellani exercent (cfr. art. V, 6, *a*, *b;* art. I, 1); haec forma munus exercendi non est iuri odiosa, sed omnino conformis. Aliae vero dantur pro illis qui munere fungi debent habitualiter extra vitam communem (art. I, II, III); haec forma est iuri odiosa, et prae oculis speciatim habetur in Instructione.

3. **Condiciones praeviae ad munus Cappellani costrensis gerendum.**

Pro hoc munere gerendo more fere saeculari requiritur: vera necessitas, maturitas subiecti, eiusque acceptatio.

1. « *Quod vera cogat necessitas* ex eo quod Cappellani e clero saeculari desiderantur » (art. I, 1: et Introductio). Secus Superiores non possunt derogare legi vitae communis. De necessitate iudicat praesertim, sed non unice, Vicarius castrensis; Superiores debent etiam de re iudicare pro parte quae ipsos tangit in hoc negotio.

2. *Maturitas subiecti* (art. II). Religiosus immaturus plerumque gravi et proximo periculo exponeretur amittendi spiritum religiosum, immo et vocationem religiosam; et cum vocatione religiosa, non raro, ipsum spiritum sacerdotalem. Non est oblivioni mandandum quod sacerdotium in religiosis intime connectitur cum vita regulari. Clericorum educatio et institutio peculiarem induunt ra-

---

[1] Hoc ministerium esset proprium Institutorum saecutarium eisque valde accommodatum: nam ex una parte si habeant regimen centralizatum, destinantur saepe ministeriis non localibus seu dioecesanis, sed specializatis et generalibus, quae non dependent ab aliquo Ordinario loci in particulari; ex alia parte sodales vivunt in saeculo, absque obligatione vitae communis. - Nulla adhuc Institutio ultradioecesana, quod sciamus, habet pro fine specifico ministaria sacra apud milites (quod esset valde provídum), ut iam habentur pro emigrantibus, pro operariis, etc.: tunc religiosi possent libere vacare proprii status disciplinae. Praeterea, quod aliqua societas ultradioecesana assumeret hoc ministerium esset valde consonum eius naturae iuridicae: sane, Vicariatus castrensis est Vicariatus R. Pontificis, quatenus iurisdictio in milites non alicui Ordinario loci commendatur, sed reservata manet ipsi R. Pontifici: et proinde valde consonum esset ut aliqua iustitutio « iuris pontificii » peculiariter Supremum Pastorem in hac parte eius sollicitudinis adiuvaret

tionem in Religionibus. Religiosi, hucusque saltem et in genere, non instruuntur ad apostolatum saecularem, sed ad apostolatum more et methodis religiosis exercendum. Unde Cappellanus religiosus immaturus extra claustra, probabiliter non erit neque bonus religiosus neque bonus Cappellanus: cum irreparabili damno proprio et detrimento ministerii.

Hinc requiruntur ab Instructione, ex regula 35 anni: toleratur aetas 30 annorum « in casu verae necessitatis, et dummodo maturioris animi dotes prae se ferant » (art. II, 1). Infra aeatem 30 annorum requiritur licentia S. Sedis (c. 606 § 3).

Maturitas demonstrari debet praeterea ex *praestantia doctrinae, pietatis et spiritus religiosi* (art. II, 2). Non sufficit aetas matura, ut supra. Sacra Congregatio Consistorialis in praecitata Instructione exigit, ut sacerdotes religiosi, non quicumque sed *optimi expertique seligantur* ad officium Cappellani. — In particulari inepti declarantur qui « false libertatis amore ducti hoc munus appetunt » (art. II, 2).

3. *Acceptatio muneris* ex parte religiosi. Hoc munus invitis generatim non imponitur, quia agitur de ministerio extraordinario « quod saepe exercetur in peculiaribus adiunctis » (art. I, 4) vitae religiosae et virtuti minus favorabilibus. Praeterea, quia vita communis non tantum est obligatio, sed ius religiosi; proinde ipso invito, non debet generatim ea privari, et cogi ut eius « tota fere vita extra religiosam familiam militari quodam saecularique modo continenter ducatur » (art. I, 1).

Non tamen excluditur possibilitas invitos cogendi, sed tantum « consulto et gravioribus de causis » (art. II, 4); quod non est parvi momenti (cfr. infra, 7, n. 5).

Modus ergo procedendi hic erit: Vicarius castrensis exponit Superioribus necessitatem auxilii religiosorum: Superiores religiosum designant qui munus debeat explere, praevia generatim eius acceptatione. Non prohibentur religiosi hac speciali vocatione praediti, suum desiderium submisse Superioribus patefacere.

4. De tempore munus gerendi

Fluctuationes articuli III denuntiare videntur difficilem et laboriosam redactionem. Firma semper norma quod Cappellani religiosi sunt amovibiles ad nutum (ex quacumque iusta causa officio adnexa) tum Vicarii castrensis tum Superioris religiosi (art. I, 2), hic prohibetur quominus Cappellani ultra quinquennium in munere et extra domum religiosam maneant. Immo concessio Cappel-

lani ad tale tempus est maximum quod ordinarie permittitur. Superiores optimo consilio ad minus tempus licentiam concedent, puta ad duos vel tres annos. Haec videtur mens S. Sedis implicita in illa clausula: « renovato secundo quovis anno Superiorum consensu » (art. III, 2); ita nempe ut, optimo iure, ad normam Instructionis Superior valeat, absque alicuius iusta offensione, consensum denegare secundo vertente quinquennii anno. Non tantum; dum exigitur consensus secundo quovis anno, non immerito argui potest quod mens Instructionis est ut Cappellani. ex regula, non sint nisi ad duos annos.

Rebus inspectis exclusive ex parte boni animarum, vel experientiae quae exercitio acquiritur, vel promotionis ad gradus superiores quae nonnisi post plures annos servitii continui merentur, etc., officium deberet esse diuturnum et quodammodo stabile. Sed haec diuturnitas et stabilitas nimium adversarentur condicioni religiosae, quam servat et servare debet Cappellanus religiosus.

Illis tamen rationibus aliquid concedens S. C. de Religiosis, permittit prorogationem de facto per quinquennium; et in specialibus adiunctis descriptis in art. III, n. 3, reassumptionem officii post aliquod tempus vitae communis; immo et continuatam prorogationem quinquennii, praesertim cum illis «qui durante munere communitatis religiosae beneficio plene privati non fuerunt ». Ad quae, ni fallimur, requiruntur causae graves, nam *oneratur conscientia Superiorum*. In casibus dubiis vel difficilibus recurrendum erit ad S. Sedem.

Et, nostro iudicio, Superiores potius in rigorem debent tendere quam in benignitatem; neque licet praetextu Cappellaniae castrensis, aliquem subditum communitati onerosum veluti exclaustratum per diuturnum tempus tenere sine licentia S. Sedis. Hic habetur ambitus incoercibilis huius Instructionis, ubi totum negotium fere defertur conscientiae et sensui responsabilitatis Superiorum, quibus non licet agere in fraudem legis.

Haec quae diximus intelligenda sunt de sensu ipsius Instructionis; nam in praxi difficultates obvenire possunt ex parte legum civilium et militarium; ita, in quibusdam nationibus contractus fit inter Cappellanum et Auctoritatem militarem ad tempus non infra triennium. Tunc, si oporteat Cappellanum removere, procedendum est concorditer cum Auctoritate civili seu militari; quod si nullo pacto possibile sit, tunc expectandum erit ad terminum contractus, adhibitis interea opportunis remediis ad normam iuris et legum prudentiae.

5. Conio iuindicdica Cappellani militum religiosi. - Potestas Vicarii castrensis et Superiorum religiosorum. [2]

I. QUA CAPPELLANUS

Cappellano religioso tribuitur, ex analogia, condicio iuridica parochi religiosi (cfr. art. I, 2). Hinc:

a) Circa nominationem et amotionem applicantur canones 456, 454 § 5 (art. I, 2) Superiores tamen non possunt eum amovere ex solis internis necessitatibus Religionis, sed solum ex causis officio adnexis: et semper praemonito opportune Vicario castrensi (art. III, 1).

b) *Circa disciplinam et correctionem* in materia disciplinae non pure religiosae: concorditer agere debent Vicarius castrensis et Superiores religiosi (art. V, 6, *d*); utrique subest Cappellanus religiosus, et quidem cumulative (art. V, 7, *a*; in applicationem can. 631); nec mirum quia pro Cappellano religioso disciplina Cappellani fit quodammodo etiam religiosa: tamen in conflictu praevalet dispositio Vicarii castrensis (cfr. can. 631 § 2). Vicario Castrensi suadetur ut suae Curiae adsciscat aliquem religiosum, qui « ipsi consilio et sodalibus religiosis auxilio esse possit ». Oportet autem ut et ipse sit Cappellanus militaris.

c) *Circa disciplinam sacerdotalem et apostolicam* peculiariter observanda est Instructio S. C. Consistorialis diei 23 apr. 1951 (cfr. art. V, 1; can. 631 § 1; 451 § 3).

2. QUA RELIGIOSUS

Cappellanus religiosus remanet integre *religiosus*, legitime tamen *absens* a domo religiosa. Hoc fundamentale principium continetur in art. IV. —

A. *Remanet integre religiosus*, et proinde:

a) Conservat iure et privilegia —temporalia et spiritualia— suae Religionis quae cum suo statu de iure et de facto componuntur (art. IV, 2).

---

[2] Notari potest quod in hac Instructione Praelatus castrensis seu Cappellanus maior constanter appellatur *Vicarius* castrensis, numquam *Ordinarius*. Et merito quidem, quia imprimis non omnes qui habent potestatem ordinariam (talis est potestas horum Praelatorum; v. can. 197 § 2) sunt Ordinarii in iure. Neque Vicarii castrenses, nisi ex analogia, vocari possunt Ordinarii ad normam canonis 198, ita nempe ut habeant omnem potestatem quam Codex tribuit Ordinariis vel Ordinariis locorum: sed eorum potestas potius desumi debet ex mandato vicario R. Pontificis (cfr. can. 451 § 3), quod hodie in genere continetur in Instructione S. C. Concistorialis 23 apr. 1951, sed diversum esse potest in variis regionibus et nationibus.

b) Iisdem tenetur obligationbius votorum et Constitutionum « quae cum eius statu ac munere conveniunt » (art. IV, 3; cfr. can. 630). Iudicium in rebus dubiis, et in genere totum hoc negotium defertur Superioribus religiosis, a quibus exclusive hoc negotium ordinandum est (art. V, 2), secus ac negotium de disciplina sacerdotali et ministeriali quae duobus Superioribus subest (supra, n. 4, 1). Dispensationes et licentiae in materia vitae religiosae a Superioribus internis obtineri debent; quae respiciunt vitam et disciplinam sacerdotalem, ab iisdem Superioribus, frequentius tamen a Vicario castrensi vel Ordinario loci. Itinera facere, praeter rationem muneris, pertinet ad disciplinam religiosam. Habitus religiosus vel clericalis gestandus est (additis insignibus militaribus) nisi prohibeatur a legibus militaribus.

Ordo Officii recitandi et Missae celebrandae considerantur tamquam pertinentia ad disciplinam religiosam, et subsunt moderarioni Superiorum religiosorum (art. V, 7, a; cfr. et principium art. IV. 2). Iam ex se patet quod Moderatores religiosi faciliter concedere debebunt celebrationem Missae iuxta kalendarium castrense, ratione festorum militarium, patriae, etc.

In materia paupertatis: « integra sit Cappellani paupertas » (art. V, 7, b): hinc rationem reddere debet statis temporibus accepti et expensi et tradere debet superfluum Superioribus. Tenor eius vitae approbandus est a Superioribus (art. V, 2); sed iam ipsa Instructio praevidet Cappellanum, ex lege patria, Vicarii castrensis, vel comitatis contribuere posse et debere certis expensis omnibus Cappellanis communibus in specialibus adiunctis, salva semper debita moderatione religiosa.

B. *Legitime absens a domo religiosa.*

1. Legitimae absentiae non una est species in iure religiosorum (et nunc exscribimus e nostro articulo, *Commentarium pro Religiosis et Missionariis*, 34 (1955), pag. 77 ss.). Absentes sunt v. gr. qui ratione studiorum etiam ultra semestre de licentia Superiorum extra domum commorantur (c. 606 § 2); et ceteri qui ex quacumque legitima causa a Superioribus probata (ministerii, itineris, infirmitatis, etc.) extra domum degunt (ib.); legitime absentes sunt qui ad dignitates extra Religionem promoventur (c. 627-629); religiosi milites (v. infra, notam 4), religiosi missionarii emigrantium extra domum religiosam, cappellani navium civilium (qui non comprehenduntur hac Instructione), cappellani castrenses, etc.

Singulis istis figuris absentium quaedam notae peculiares competunt; sed plures habent communes. Ante omnia, legitima absentia valde differt ab exclaustratione, et absens non est confundendusc cum

exclaustrato. In genere, absentiae adscribuntur quae sunt favorabilia exclaustrationis, non quae odiosa.

Commune habet absentia cum exclaustratione legitimam commorationem extra domum religiosam, remanante vinculo cum ipsa Religione; uterque tenetur votis ceterisque obligationibus quae cum statu componi possunt, et gaudet privilegiis mere spiritualibus suae Religionis.

Sed *differunt* multiplici ex capite, videlicet:

a) Exclaustratus in Religionibus iuris pontificii indiget indulto apostolico (c. 638); absens licentia Superiorum (c. 606 § 2).

b) Exclaustratus debet deponere exteriorem formam habitus religiosi (c. 639); absens debet deferre proprium habitum, nisi gravis causa *excuset* iudicio Superiorum ad normam can. 596; aut in defectu causae excusantis, nisi indulto apostolico dispensetur.

c) Exclaustratus caret voce activa et passiva (c. 639) nec potest exercere munera in Religione; absens his iuribus non privatur, nisi quatenus de facto sint incompatibilia cum suo statu.

d) Exclaustratus gaudet solummodo privilegiis mere spiritualibus suae Religionis (c. 639); absens gaudet omnibus iuribus: spiritualibus, socialibus et temporalibus.

e) Exclaustratus subditur Ordinario territorii ubi commoratur loco Superiorum, etiam ratione voti obedientiae (c. 639); absens, in genere salvis peculiaribus normis pro determinatis speciebus absentium) non magis dependet a Superioribus externis (firmo can. 616 § 2) quam alii religiosi in domo degentes; et quoties ab ipsis dependent, numquam ratione voti obedientiae. Similiter, absens non indiget licentia Ordinarii loci ad commorandum in sua Diocesi; utique, sicut alii religiosi, ad ministeria exercenda.

Neque indiget licentia Ordinarii loci ad celebrandum Missae sacrificium (can. 804 §§ 1,3: *salvis huius canonis praescriptis*); sufficiunt litterae oboedientiales proprii Superioris religiosi.

f) Denique exclaustratus conservat vinculum cum ipsa Religione, sed privatur domicilio locali et Superiore religioso immediato; absens conservat suum domicilium et Superiorem localem.

2. *Figura Cappellani militum religiosi tamquam legitime absentis a domo.*

Omnes notae communes absentiae sancitae apparent in nostro documento: primum in quo, general quadam ratione, haec iuridica figura delineatur. Traduntur praterea notae peculiares Cappellani castrensis.

Iamvero, in praecedenti numero declaravimus quae ipsi compe-

tunt ratione perfecti vinculi cum Religione in genere, seu quatenus « remanet integre religiosus »; nunc sunt enuntianda quae quatenus *absens* debet adimplere.

a) Statuitur imprimis eius fundamentalis differentia ab exclaustrato (art. IV, 1). Nihil tamen impedit quominus aliquis Cappellanus obtineat etiam indultum exclaustrationis; et tunc prae oculis est habenda peculiaris eius positio iuridica, prout modo explicatum est. Putamus tunc submitti etiam, ratione voti obedientiae, Vicario castrensi, ex clara analogia cum dispositione art. I, 3: « Ordinarius loci hac in re (sc. cum agitur de nominatione, amotione et vigilantia) intelligendus est Vicarius castrensis (cfr. c. 639).

b) Debet habere domicilium locale et Superiorem localem immediatum, qui curam de eo gerat in spiritualibus et in temporalibus (art. V, 3).

c) Obedientialibus litteris proprii Superioris maioris muniendus est, in quibus licentia absentiae constet et instructiones ferantur de modo pratice conciliandi vitam religiosam cum munere Cappellani (art. V, 2). Si plures sint, regulamentum commune comfiecere oportebit.

d) Si fieri potest collocandus est in loco ubi habeatur domus propriae Religionis (art. V, 6, *a*); in ipsa pernoctabit, si fieri potest, vel saltem in domo religiosa aut pia (ib., 2), v. gr. parochi. Domus religiosae libenter recipient Cappellanos alius etiam Religionis, et quidem non sine propria utilitate tum oeconomica tum protectionis coram auctoritatibus externis.

Pernoctare tamen extra castra non semper erit possibile; ex. gr. in stationibus colonialibus aut quomodocumque longinquis a civitatibus; similiter in nosocomiis militaribus, ubi saepe magis urget adsistentia noctu quam diu.

e) Huc faciunt etiam visitationes Superiorum aliorumque confratrum, frequentatio domus propriae Religionis ab ipso Cappellano, commercium epistolare cum Superioribus (art. V, *a*, *b*, *c*). Notetur quod perseverantia Cappellani religiosi non minus dependet a cura Religionis quam ab usu personali mediorum adhibendorum. Cappellanus incredibili modo afficitur sollicita caritate, adsistentia, visitationibus, invitationibus, litteris Superiorum et confratrum; sicut e converso, intime offenditur et taedio Religionis tentatur, si in ipsa animadvertat indifferentiam et oblivionem.

f) Exercitia spiritualia annualia in domo Religionis (c. 595 § 1, 1°) et dies recollectionis spiritualis mensilis urgentur (art. V, 9, *b*, *c*). Ogligatio collationum memoratur a S. C. Consist. sub n. XVII suae Instructionis; religiosus, si fieri possit, frequentabit con-

ferentias in domo suae Religionis ad normam can. 590; secus cum aliis clericis (c. 131).

g) Denique feriae agendae sunt in domo religiosa, non alibi sine speciali licentia (art. V, 9, *d*). Ubi sit possibilis substitutio temporanea Cappellani, a Superioribus procurabitur.

Providetur ergo ut absentia et distantia a Religione quantum licet contrahantur; vincula cum Religione quam maxime stringantur, et vita communis pro posse frequentetur.

6. Relatio ad indulta praecedentia.

Opportune animadvertitur quod in casu non agitur proprie de nova aliqua lege, sed de Instructione. Constituitur quidem ius speciale quatenus in determinatis adiunctis ampliatur facultas Superiorum concedendi licentiam absentiae a domo; sed, si in genere sumatur, non est nova lex ad plenum sensum iuris canonici. Proinde neque applicari debent normae de retroactivitate vel minus novarum legum.

Itaque censemus potius ad mentem claram Instructionis attendendum esse.

Si igitur alicubi habeatur generalis concessio pro aliqua regione, talis concessio in posterum intelligenda et applicanda est ad normam huius Instructionis. Singuli religiosi considerandi sunt tamquam legitime absentes; indultum accipiendum est tamquam facultas Superioribus facta concedendi licentiam absentiae. Superiores hac facultate uti debent iuxta criteria et normas Instructionis: ita possunt revocare religiosos « ad nutum » ad vitam communem (ex causis muneri adnexis), opportune praemonito Vicario castrensi; eos non ultra quinquennium relinquere possunt extra vitam communem, computatis etiam annis iam hucusque actis; nisi censeant concedi posse proprogationem ad normam art. III, 3 [3].

[3] Indultum generale concessum fuit a S. C. de Religiosis primo pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis die 10 martii 1941 : « attese le circostanze del momento e le gravi difficoltà di comunicazione ... ». Renovatum fuit die 28 sept. 1948 : « perdurantibus praesentibus rerum a diunctis ... licentiam largiri valeat extra religiosam domum ultra sex menses permenendi ». - Anno 1953 habebantur 2.000 fere sacerdotes militibus inservientes, quorum tertia pars erant religiosi.

Die 7 apr. 1949 simile indultum concedebatur pro Ditione Canadensi. In eo accuratiores clausulae apponebantur : consensus religiosi et laudabile testimonium Superiorum maiorum requirebatur, peculiaribus normis prospici debebat Cappellanorum religiosorum sacerdotali et religiosae vocationi servandae ; etiam concedebatur « dum praesentia adiuncta perduraverint ». Cappellani religiosi habentur 30 % circiciter numeri totalis.

Etiam in Gallia anno 1954 munus gerebant 126 sacerdotes religiosi ex 26 Religionibus diversis. In Hollandia anno 1952 erant in exercitu terrestri et aereo 51 religiosi ex totali numero 68 Cappellanorum ; in exercitu maritimo 13 ex 17 Cappellanis ; in acie subsidiaria (riserva) 37 ex 39 Cappellanis.

7. **Momentum iuridicum et practicum Instructionis.**

Ex his capitibus deduci potest:

1. Ubi deficiat clerus saecularis, assumendus est clerus religiosus vel Societatum vitae communis pro ministerio apud milites in exercitu terrestri, navali vel aereo, *dispensata ad longum tempus vita communi*, cum tamen vita communis sensu materiali accepta, sit elementum necessarium disciplinae religiosae, quin etiam ipsius status religiosi canonici (c. 487).

2. Iuxta canonem 626: « Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso, componi non possint » (can. 626 § 1). Nunc vero, generali modo permittitur ut, in defectu cleri saecularis, possint religiosi assumi ad hoc munus de simplici Superiorum licentia: licet sit incompatibile ex multiplici capite cum disciplina religiosa canonica. Sane, iuxta analogiam desumptam a condicione iuridica parochi religiosi (cfr. supra 5, I). Cappellanus castrensis religiosus « manet quidem obstrictus ad observatiam votorum et constitutionum », sed tantum « quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere » (cfr. can. 530 § 1; Instr. art. IV, n. 3).

3. Ad normam can. 606: « Pro absentia (a domo religiosa) quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur ». Et licet in quibusdam Constitutionibus admittatur quod etiam ratione peculiaris ministerii Religionis, possunt Superiores concedere absentiam ultra semestre, tamen nemo hoc applicaverat ad munus assumendum Cappellani castrensis. Nunc vero, intra limites hic praescriptos, etiam huius generis legitimam absentiam ad longius tempus concedere valebunt.

Institutum *absentiae* multum evolvitur et bene delineatur in praesenti documento; quod proinde prae oculis habendum erit in casibus analogis, v. gr. pro religiosis militibus [4].

4. Ex dictis constat, quod bonum commune, in praevisis circumstantiis, postulat, iudicio legislatoris, derogationem seu mitigationem practicam harum legum canonicarum. Ecclesia postulat a sacerdotibus religiosis in praesentibus rerum adiunctis quandam abnegationem in rebus proprii status religiosi in bonum animarum.

---

[4] Anno 1939 (Cfr. *Commentarium pro Religiosis et Missionariis*, 1939, p. 213) et 1940 (cfr. Schefer, *De Religiosis*. 1947, n. 1014): Sartori, *Enchiridion canonicum*. Suplem. ad VI ed. 1941, canon. 574) professos perpetuos in servitio militari considerabat S. C. de Religiosis tamquam exclaustratos ad normam can. 639. Agitur de documentis non publicatis. Censemus praevalere hodie analogiam in textu enuntiatam, quae videtur respondere praesenti praxi S. C. de Religiosis.

Res non ita urgebant proxime transactis temporibus; nam Pius XI Cardinali Dei Lai in Audientia diei 2 julii 1926 declaraverat non expedire in ordinariis adiunctis assumere Cappellanos militares ex religiosis vel ex parochis.

5. Sed cum legislatorem non lateant incommoda quae ex anomola condicione religiosi Cappellani militum obvenire possunt, ideo media et remedia adhibere conatur ad finem intentum adipiscendum et formidata pericula avertenda. Tota Instructio in hoc incumbit: in auxlio efficaciter praestando Vicariis castrensibus in defectu cleri saecularis; ipsum tamen componendo, quoad fieri potest, cum legibus et institutis religiosis canonicis. Huiusmodi compositio non semper est utrique parti commoda: officio nempe Cappellani eiusque exigentiis et condicioni religiosae; immo forsan habitualiter incommoda utrique. Hoc erat inevitabile in hoc negotio; et est signum quod medium prudentiae in Instructione servatur.

A. Gutiérrez, C. M. F.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
ALIORUMQUE
TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Sententia definitiva in quarto gradu

(sub die 28 februarii 1951)

Facti species. - Post illicitam conversationem, per annos protractam, dn. Bruno Pitti, in trigesimo tertio circiter anno constitutus, ortus ex familia fructuosis commerciis dedita, ac Maria Cocchi, aetatis paulo minoris, sed humilis condicionis, matrimonium, die 25 junii 1939, per ministerium Exc. Victorii, Episcopi diocesis X., nunc defuncti, consanguinei sponsi, rite ocntraverunt. Quod quidem in eiusdem sponsi domo, intra fines paroeciae S. Mariae, et hora inconsueta, i. e. transacto jam meridie, locum habuit, eo quod Bruno, usque ab infantia, fere, morbis gravissimis afflictus, qui stigmata reliquerant sive in eius corpore, sive in indole et ingenio, sive tandem in nervis ac mente, nonnisi tardo mane e lecto surgebat, ac sensim tantum plene vigil effectus, in vigore et actu suo redire, etiam ob medicamenta ad arctissimum somnum provocandum ingesta, solitus erat.

Quibus cunctis prae oculis habitis, simul cum mulieris condicione, parentes ac soror Brunonis multum huic matrimonio obstiterant, nam juvenem ad familiam constituendam et alendam merito inhabilem putabant: sed frustra. Itemque, medici a cura tam juveni quam puellae sive morbi insanabilitatem prospexerant, sive periculum pro edenda prole, super quam tam morbida, e linea paterna, gravabat hereditas.

At juvenes, libidine rapti, et quovis sensu morali ac religioso destituti, maluerunt consilium quoddam pessimum acceptare, nuptias ineundo postquam prolis conceptionem omni studio evitandi inter se convenissent, ac forte conceptam statim enecandi.

Celebrationem iter nuptiale subsecutum est; dein domicilium coniugale apud sponsi parentes constitutum. Sed conviventia, per tres tantum menses non sat pacifica, prius de facto, deserente muliere coniugale tectum, postea vi legis, die 18 octobris, definitive abrupta est.

Per libellos diei 14 novembris et diei 11 decembris, dein, actoris parentes matrimonii nullitatem Ordinario denunciarunt, petendo et instando ut processus intsrueretur, assumentes filium aptum non esse ad sua jura vindicanda, eumdemque validum consensum non edidisse, sive quia « affetto da epilessia, infermità che lo mette in condizioni di grave minorazione psichica », sive quia « per consiglio medico, contrasse... matrimonio con l'intento di non generare

prole, la quale avrebbe potuto nascere psichicamente e fisicamente tarata ».

Ordinarius rem commisit Promotori Justitiae: qui, sub die 20 maji 1940, expresse rejecto capite exclusionis boni prolis, nisus tamen super voto peritali prof. Ludovici, accusationem instituit de matrimonii invaliditate, ex viri amentia.

Processu constructo, auditis, praeter partes ac testes, medicis, qui infirmum antea visitaverant et in curam habuerant, pariterque perito canonice constituto, i. e. prof. Arcturo, Tribunal vobpetens, die 20 januarii 1943, sententiam pronunciavit in favorem vinculi.

Adversus quam appellatum non fuit. Vir, e contra, novo libello exhibito die 12 februarii 1943, matrimonium accusavit ob exclusum bonum prolis.

Judices primi gradus, habilitatem viri ad accusandum, ob peculiaria adiuncta, expresse agnita (non obstante praescripto can. 1971, § 1, n. 1), novam causae instructionem jusserunt, *cuius actis et praecedentia, in causa ob amentiam constructa, inserenda mandarunt;* tandem, die 11 martii 1944, per sententiam actori faventem, rem absolverunt.

Sed, appellante Defensore Vinculi, haec sententia a Tribunali alterius gradus, die 15 aprilis 1946, reformata fuit.

Tunc actor Sanctam Sedem appellavit, et in turno quodam Rotali, die 20 martii 1948, sententiam adhuc sustulit suis votis contrariam.

Recursu interposito pro nova causae propositione ad normam cann. 1903-1989, per decretum coram me ponente editum die 16 novembris 1949, exauditus est.

Inde, concordato de more dubio, nunc quarta vicevidendum est: « *An constet de matrimonii nullitate in casu* », i. e. an sententia Rotalis diei 20 martii 1948 confirmanda vel infirmanda sit ».

In jure. - Ex doctrina catholica, in ipsa rei natura fundata, can. 1013 C. J. C., inter alia, statuit: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis ». Unde, legitima consequentia, quoties *jus* ad coniugales actus, quibus proles concipitur, probetur expresse exclusum « positivo voluntatis actu » (can. 1086, § 2), vel ab uno tantum ex nupturientibus, esto ad tempus determinatum vel indeterminatum, matrimonium, deficiente substantia consensus, corruat necesse est (coram R. P. D. Wynen, 10 feb. 1931, n. 11; v. etiam D. Staffa in « Monitor Ecclesiasticus », 1949, vol. I, p. 167).

At, difficultatis cardo, in his causis, in quibus matrimonium accusatur ob exclusum bonum substantiale (nisi agatur de indissolubilitate, de qua in praesens sermo inaniter institueretur), in eo est ut demonstretur proprie jus, et non tantum exercitium juris, re-

jectum fuisse. Posset enim quis (et de mera possibilitate loquimur; non autem, uti par est, de facultate) tradere-acceptare omnia substantialia coniugii bona, cum perversa tamen intentione neutiquam obligationibus vere susceptis faciendi satis. Quod non infrequenter in pessimis hominibus, sensu honoris ac relligione carentibus, ex innumeris causis, nunc futilibus, nunc specie gravibus, contingit: ex hoc tamen nullitas consensus non sequitur, quia « esse rei — docet S. Thomas — non pendet ab usu suo ».

Dantur, proinde, ab AA. et a Rotali juris prudentia criteria quaedam ad dignoscendum utrum, in singulis casibus, verum jus uti exclusum haberi debeat: quae autem mathematice aut indiscriminatim accipienda non sunt, sed juxta prudentiam judicis considerandа, pensanda, et casui subiecto applicanda. Illud autem constanter momentosum valde apparuit, nempe scrutari assertae simulationis causam: an vere exsistens probetur, an gravis in se sit, an independens a contrahentium voluntate, imo ea non obstante existat et vim suam exserat, an natura sua perpetuo duratura, vel temporanea, vel temporanea, vel fluxa ac fragilis, et ita porro.

Siquidem, rationabiliter eo facilius tenetur ipsum jus exclusum, quo gravius, ac per se stans, probetur exclusionis motivum.

Insuper, in foro fori sollemne semper habitum fuit — teste quadam celebri sententia rotali coram R. P. D. Wynen, videntibus quinque, sub die 6 maji 1941 data — exclusionem ipsius juris ad prolem praesumi cum formale pactum inter utramque partem demonstretur initum, vel cum exclusio procreationis accidit per modum verae conditionis consensui appositae (can. 1092, n. 2), alteri notae, vel non, sed eo magis si a comparte acceptatae: quod quidem praelaud. elaboratissima sententia luculenter probat ex ipsa lege, ex natura rei, ex unanimi doctrina, ex uniformi jurisprudentia ecclesiastica, praesertim S. Rotae, cuius decisiones non *plures*, sed *omnes*, hoc constanter tenuerunt, unica excepta quam ea, de qua est sermo, reformavit in jure et in facto.

Quin imo cl. D. Staffa (l. c.) haec, a strenuis patronis relata, ac plene a Nobis acceptata, scribit: « Conditio proprie dicta non praesumptionem tantum, sed causam omnino certam constituit, ex qua nullitas matrimonii sequitur tamquam necessarius et inevitabilis effectus, *nedum si id, quod conditioni subest, sit perpetua exclusio* cuiuscumque actus per se apti ad prolis generationem, cum voluntate abutendi coniugio..., *sed etiam si conditio sit ad tempus...*

Ex condicione enim proprie dicta consensus pendet, ideoque etiam juris traditio atque contractus. Conditione ergo probata, certa

est ipsius exclusio. Idem dicendum est, imo potiori jure, si cum tali conditione statuatur pactum, quod facilius probatur ».

Et haec maxime valere cum conditio vel pactum tempus *indeterminatum* et *indeterminandum* respiciat, procul dubio est: nam vere non intelligitur quomodo jus *perpetuum* tradat, vel proprius non expresse excludat, is qui de filiis generandis paciscatur solummodo si et in quantum exentus quidam verificabitur, prorsus et in incertum futurus, imo absolute, ex adiunctis, improbabilis ac vere hypotheticus.

In facto. - Patres praesentis turni prae primis onus adverterunt dissipandi, quantum in se est, umbras nonnullas, quae praecedentium Rotalium Judicum rectissimam conscientiam turbare visae sunt. Ipsi enim suspicionem de mala fide actoris, eiusque consiliariorum, cito nimis, forte, congesserunt (sit tamen cum reverentia dictum) ex eo quod prius causa ex amentia viri instaurata fuit, deinde, post eius exitum non secundum, aliud nullitatis caput. i. e. exclusum ab eodem viro bonum prolis, manibus pedibusque inventum, est in medium adductum, etsi primo contradicens: nam amens, aut qui tali mente imbecillitate laborat ut consensum validum promere non possit, inhabilis est ad simulandum: itemque vere simulans amens aut stupidus declarari non potest.

Et eo magis praelaudati Auditores se contristatos exhibent, eo quod vir, relate ad novum, quod dicunt, caput nullitatis, a dolo expresse excusatus fuit a Tribunali primi gradus, et quaerunt: « Sed, si in aliquo rarissimo casu credi potest bonae fidei in excludente prolem *impediendo*, idem ne concipere fas est in *supprimendo*? ».

Attamen, pro justitia, animadvertendum est causam ex amentia neque a viro institutam fuisse, neque a parentibus, qui nec tantum — ad juris praescripta — potuissent, quique simpliciter, in supra citatis libellis, aliqua facta exposuerunt, *ab actis instructionis*, *dein*, *non contradicta*, ex quibus legitime oriri poterat suspicio de defectu consensus in filio ob mentis infirmitatem. Nec tacuerunt, ut vidimus, de intentione eiusdem filii contra bonum prolis: quod proinde immerito definiretur caput mendicatum vel fucatum ad extorquendam quomodocumque declarationem nullitatis vinculi.

Sed neque Promotor Justitiae, qui matrimonium ex capite amentiae accusavit, quique accusationem sustinuit *tamquam unicum actor*, neque viri patronus, qui causam defendit, de temeritate aut levitae argui facile possunt: nam, technice incompetentes, praesertim initio causae, ad judicandum de morbi natura eiusque consectariis, voto peritali prof. Ludovici et aliorum medicorum attestationi fisi sunt: adversus quae, bene notandum, nihil perem-

ptorium peritus ex officio, i. e. prof. Arcturu, de facto objecit, etsi ad diversam conclusionem devenerit quoad consensus integritatem.

Actum, proinde, fuit de materia disputabili, in qua variae opiniones et conclusiones prodierunt, debito obsequio et attentione dignae.

Quod si posterius vir, melioribus fretus consiliis, appellationi contra decisionem super causa de amentia renunciare maluit, et accusationem directe ac per se aggredi super excluso bono prolis, illico ne dicatur hoc esse effugium, aut prorsus novum, aut aliquid praetractato contradicens, neque insuper teneatur actorem conatum esse, in hac ulteriore causam, mentis infirmitatem denegare, quasi in praeteritum actum fuerit « de re phantasia excogitata, infaustae prorsus recordationis et in archivo reponenda ».

Nequaquam causa illa, ex cuiusque desiderio, in archivo sepelienda erat, nec de facto sepulta est, imo viva ac peculiariter efficax, ut ostendemus, novae, cui directe et indirecte prodest, per opportune unita fuit.

Quaerunt sibi Patres praecedentis turni: « Si Bruno stupidus erat, ut nesciret quid fecerit in celebratione, quomodo tunc poterat coarctare consensum? ».

Sed nemo umquam tenuit, in similibus causis, coarctationem vel simulationem consensus verificari debere in ipso celebrationis actu. Et aliunde, actor nec habitualiter demens nec habitualiter stupidus ab actis, et ab ipsa peritia prof. Ludovici, maxime thesi de amentia favorabili, exhibetur, sed solummodo mentis imbecillitate ita laborans, ut nullum munus fructuose exercere valeat, *praesertim in horis matutinis*, in quibus etiam invenitur sub influxu pharmacorum ingestorum ad somnum provocandum. Quod et peritus canonicus, sua peculiari auctoritate, plene confirmat.

Infrascripti ponentis, non infrequenter visitantis, ratione officii, in annis praeteritis, magnum Urbis nosocomium pro istis miserrimis infirmis mente colligendis et curandis, in directam notitiam venerunt casus complures hominum gravissime, et ab annis, amentia laborantium: qui tamen lucide, ac peculiari diligentia et exitu, ardua munera explicant sive intra septa nosocomii, sive extra, in periodis quibus morbus quiescit aut remittit. Inter alios commemorandus videtur juvenis medicus, qui tam violentis impetibus agitatur, ut per diem ac noctem, fere semper, magnis funibus ligatus degere debeat: qui tamen, in intervallis quietis, quae mensibus aliquando perdurant, perfecte normalis devenit, ac diagnosim et symptomata non modo morbi, quo affligitur, sed et aliorum degentium, acutius quam ceteri medici, aliquando pronunciare valet.

Igitur, *neque impossibile neque improbabile est* Brunonem,

cuius morbus tantam gravitatem numquam attigit, serio consensum coarctasse, in colloquiis cum muliere, *quae semper horis vespertinis contingebant*, paciscens contra bonum prolis per efficacem voluntatis actum; sicut nihil peremptorie probat adversus existentiam et gravitatem morbi, in casu, factum quod aliqua vice, etiam sine comite, motoriam rhedam actor direxerit (eheu, quot vere ac gravius amentes, quotidie, huiusmodi machinas dirigunt, cum consectariis bene notis!...), vel patrem, in commerciis vel in administratione, modice, *nec constanter*, adjuvare potuerit.

Habilitatem viri ad accusandum quod respicit, edixit Turnus, in hoc cum praecedenti concordans, talem bonam fidem in viro, ut ipse nullatenus adverterit legem moralem violari per pactum, vel per propositum non concipiendi, et, quod summum est, prolem forte conceptam necandi, vix et ne vix quidem admitti posse. At, non de bona fide, quae a peccato excusat, sed *de dolo* quaestio agitanda est. Dolus, autem, heic est deliberata mala voluntas procurandi nullitatem sacramenti per pactum aut propositum contra substantiam. Hanc, in praesens, defuisse, et vir aperte affirmat, et parentes confirmant, et omnia acta suadent. Attendatur praesertim ad hos locos peritiae prof. Arcturi, periti ex officio: « ... sulla base di numerosi elementi acquisiti agli atti, è da ritenersi *indubbio* che Bruno è affetto da una *classica forma di epilessia* (53)...

Anche per quanto riguarda il campo *psichico*, è indubbio che debba ritenersi un *anormale* (55)...

Nel quadro psichico del paziente, che ho poc'anzi tracciato, si notano poi alcune altre manifestazioni, la cui causa non può venir messa in diretto rapporto con l'epilessia, ma tutt'al più possono essere state da questa *influenzate o accentuate*. Voglio riferirmi sopratutto alla povertà del suo patrimonio culturale, alla fatuità, all'esagerato concetto di sè, alla tendenza al favoleggiamento, *alla mancanza del senso morale*.

Io ritengo che questo corteo di manifestazioni avrebbe potuto essere, almeno in parte, evitato se da parte dei suoi famigliari fosse stato provveduto, fin dall'età giovanile, ad esercitare su di lui opera oculata ed energica per evitare l'accentuarsi o lo stabilizzarsi *delle sue deficienze e tendenze costituzionali*, e per indirizzare la sua intelligenza e le sue attitudini allo scopo di ottenerne il migliore rendimento. E' avvenuto, invece, che i suoi famigliari, unicamente preoccupati delle numerose malattie da lui sofferte, e dal desiderio che riacquistasse un soddisfacente stato di salute, mossi anche certamente da un malcompreso sentimento di affetto e di pietà verso di lui, credettero opportuno non usare i normali sistemi di educazione e d'istruzione, lasciandogli sempre la più

assoluta libertà in ogni campo, non solo, ma acconciandosi spesso alla sua volontà. E' avvenuto così che non solamente il giovane non compì alcun corso di studi regolari e non ricevette un'istruzione adeguata alla sua condizione economica, ma fu abbandonato a se stesso, libero di seguire e di soddisfare le sue tendenze e i suoi istinti. Se si tiene conto, inoltre, che egli veniva continuamente e largamente rifornito di denaro e conduceva una vita oziosa, si comprenderà facilmente come abbia potuto crearsi in lui l'esagerato concetto di sè, ed abbiano potuto svilupparsi, fino a diventare sue qualità peculiari, la fautità, la leggerezza, la tendenza alle avventure amorose, *la mancanza di senso morale* ».

Tabula, quam peritus aptis pinxit verbis, nitida est, in eaque effigiem psychico-moralem actoris habes: nempe, super labili fundamento constitutionali, pessimus educationis madus, vel, si placet, cuiusque moralis ac scientificae institutionis fere absoluta carentia (quia genitores cum filiis habitualiter infirmis vel non bonae indolis — ut notum est — saepissime debiles, usque ad impotentiam, deveniunt), tam male influit, ut, accedente otio et pecuniae copia, homo fere amoralis ac practice nullus resultaverit.

Quid mirum talem virum, aequilibrio carentem, pessimis consiliis insuper excitatum, potuisse, non sat advertendo abnormitatem delicti, et de prole non concipienda, et de forte concepta enecanda, firmiter cum sponsa pacisci? Cum sponsa, quidem, inferioris socialis gradus, quae probabilius non recta intentione matrimonium hoc exoptabat (quid enim illam trahere poterat erga virum physice ac moraliter tam deficientem?), sed vel erotica passione, vel ratione status patrimonialis familiae viri eiusdem.

Et quomodo, omnibus his adiunctis mature pensatis, non potius infelicem quam reum hunc virum habebimus? Proinde non penitus, vel saltem non in omnibus, reiicienda apparet haec miserrimi actoris declaratio: « Io, facendo così, ignoravo assolutamente e non mi rendevo affatto conto che ciò fosse, dal punto di vista morale, proibito, nè tanto meno che potesse esser nullo il matrimonio. Anzi, io credevo che, data la malattia, fosse un dovere agire in tal modo ».

Quibus praemissis, meritum causae stricte aggrediamur oportet, et quidem:

I°) - Causam simulationis (i. e. viri morbum) fuisse per se gravem, natura sua perpetuam, a voluntate partium nullo modo dependentem, talem, quae, ob ipsam, bonum fuisset matrimonio renunciare, ambigi nequit. Et haec utrique parti, quidquid conventa in contrarium affirmare audeat, bene nota erant. Audiantur medici a cura:

Doct. Ronca haec ad rem habet: « Lo conobbi Bruno... nella primissima infanzia e lo curai di una grave enterocolite, che durò circa due anni. Poi si riprese, malgrado diverse malattie, godette discreta salute fino a tredici anni, quando cadde malato per una tubercolosi ossea, che lo tenne immobilizzato con apparecchi gessati per circa tre anni. Clinicamente guarito, stette in discreta salute da circa due anni, quando fu colto da poliomielite acuta con paralisi delle braccia; guarito anche di questo, dopo sei mesi fu colto da una convulsione a tipo epilettico, che andò ripetendosi ad intervalli di tempo, più o meno lunghi, e tuttora l'affligge. La poliomielite sofferta, avendo determinato un'azione deleteria su tutto il sistema cerebro-spinale, deve ritenersi quale causa prima dell'epilessia. Queste manifestazioni di epilessia sono anteriori alla conoscenza che Bruno fece della Cocchi, *la quale era perfettamente al corrente della malattia*, avendolo io detto alla madre di lei, *in presenza della ragazza, che tale malattia er ainguaribile*, e che poteva avere serie conseguenze per la prole, intervenne la ragazza dicendo che sapeva tutto questo ecc. » (p. 32-33/4).

Consonat doct. Franzi: Lo conosco da molti anni... Io ho avuto occasione di assisterlo periodicamente, quasi ogni settimana, nel periodo di crisi epilettica... da quando l'ho conosciuto, l'ho sempre trovato colpito da epilessia, *la prognosi è infausta...*

Ritengo che tutti abbiano sconsigliato il matrimonio, perchè si temeva che nascesse prole tarata. Io stesso al padre di lui, a lui stesso, ho fatto capire che questo matrimonio non sarebbe da farsi, e ciò per la malattia del figlio, per la sua testa e per il suo modo di ragionare.

La Cocchi, prima di sposare, *ha saputo che il giovane era malato*, anzi una volta, in mia presenza, era venuta a trovarlo con la mamma, subito dopo una crisi epilettica, *sapeva pertanto della epilessia del giovane* ».

Ceterum, mater conventae, quamvis modo sat ambiguo loquaturfi sufficienter innuit morbum juvenis, huiusque insabilitatem, in familia sua notum fuisse. Quod maximi momenti est pro constabiliendo fundamento pacti vel conditionis, de qua fusius infra.

II°) - Est aeque certum, ex actis, quosdam impulisse juvenem, suis incitationibus atque consiliis abhorrendis, ad contractandum cum muliere de prole omnino non procreanda.

Talis, in primis, doct. Ronca, qui suum facinus in judicio agnovit, cuiusque attestatio eo plus valet, quia data cum quaestio vertebat non circa exclusionem boni prolis, sed circa amentiam:

« Egli fu spinto al matrimonio — ait doctor — più dalla tendenza sessuale. Io, come ho detto, prima sconsigliai il matrimonio;

vista la ferma decisione, l'avvertii che sarebbe prudente evitare la prole; in quella circostanza Bruno mi rispose ch'egli non voleva figli, e nel caso che la sposa fosse rimasta incinta, egli avrebbe saputo come fare ».

Talis, praeterea, actoris soror, nomine Claudia quae jam in prima causa deposuit: « Fui io che in buon modo insinuai a mio fratello di non aver figli, credendo lì per lì di far bene, per non mettere al mondo dei disgraziati »; sed in altera adiuncta magis notabilia addit: « Debbo precisare che fui io a mettere mio fratello sull'avvertenza, dicendogli che, date le sue condizioni, era pericoloso che avessero figli. Io ero stata fidanzata, *ed il mio fidanzato aveva rotto il fidanzamento quando aveva saputo che mio fratello era malato.* Io mi resi conto da ciò come fosse pericoloso aver figli in quelle condizioni. Ne parlai con mio fratello, al quale poi parlarono anche i medici Ronca e Franzi. Mio fratello fu convinto da queste osservazioni e decise di escludere la prole, e lo dichiarò alla fidanzata ».

Agnoscere dolet, sed oportet, haec esse, in circumstantiis huiusmodi, humanae scientiae atque humanae prudentiae (quae cum evangelica pugnat) dictamina, sicque non infrequenter ratiocinari hominse, cum lumine supernaturali dirigi nesciunt vel non sinunt.

III°) - Ex praedictis, plene intelligitur virum apposuisse consensui conditionem contra bonum prolis, quae et in pactum a nupturientibus deducta fuit. Quod probatur:

1°) - Per non ambiguam partium confessionem, quae utique, per se, argumentum non constituit, sed tenenda est tamquam probationis petra angularis. Deposuit vir jam in prima instructione, quando de huiusmodi capite non tractabatur: « Per ignoranza, prima del matrimonio, *ho messo la condizione di non aver figli*, e ciò ho fatto data la mia malattia. La sposa ha accettato ». Ac prosequitur confitendo sive ante sive post matrimonium, si quando dubitavit mulierem, ex inadvertentia, foecundatam mansisse, remedia ad conceptum eiiciendum ipsi procurasse; insuper, refert quod, in intimis, ita semper egit ut prolis conceptionem attente evitandam curaret. Quae judicialis viri confessio tam clara in se est, ut nullo commento indigeat. Sed res fusius explicatur in altera instructione, expresse super hoc capite ordinata, et haec sunt ad rem ulteriora actoris verba: « Più volte, in modo esplicito, parlando con la Cocchi, prima delle nozze le ho dichiarato che mi sposavo alla condizione di non aver figli. Ciò le dissi al principio del fidanzamento, come in seguito. Io posi tale condizione perchè, essendo malato, non volevo prole tarata. Io mi ero consigliato col mio medico, dott. Ronca; gli avevo chiesto se c'era pericolo per

eventuali figli, data la mia malattia; egli rispose che il pericolo c'era. Allora io, consentendo il medico, decisi che mi sarei sposato evitando la prole, perchè non volevo che i miei figli avessero a soffrire quello che ho sofferto nella vita...

Ho dichiarato in modo bene esplicito e definito alla mia fidanzata quale era la mia volontà su questo punto, aggiungendo che, se fossi rimasta incinta, l'avrei fatta abortire, sempre per non correre il rischio d'aver figli ammalati. Io posi questa mia volontà escludere la prola *come condizione al matrimonio;* non mi sarei sposato se la fidanzata non avesse accettato tale condizione. Essa l'accettò, e si era su questo punto d'accordo in pieno...

Io a nessun costo ero disposto ad aver figli, per la mia malattia; ho sofferto troppo nella vita per mettere al mondo altri che soffrano, date le mie condizioni. Ho già detto: mia moglie accettò in pieno la condizione che ho posto.

Io mi sono espresso con la fidanzata in modo molto chiaro ed esplicito contro la prola, *ponendo ciò come condizione.*

Su questo punto, io ero ben deciso e il mio proposito era assoluto e fermo, tanto che io avrei rischiato di andare contro il codice penale per procurare l'aborto, piuttosto che avere un figlio.

La Cocchi non si è mai opposta alle mie idee, anzi le ha accettate in pieno. Come ho già detto, ho escluso la prole per sempre; non ci fu, su questo punto, nessun disaccordo fra noi due, e nessuna discussione.

Fui io a decidermi di escludere la prole, data la mia malattia, dopo aver parlato col medico, il quale mi fece presenti i pericoli, ai quali andava incontro la prole. Appena il medico mi disse che v'era pericolo, io conclusi in sua presenza che allora avrei escluso i figli.

Io non ho mai cambiato idea su questo punto, dato che la cosa era per me particolarmente grave. Posso assicurare con giuramento che io diedi il mio consenso al matrimonio, escludendo la prole ».

Similia, postea, retulit in examine, quod tulit apud tribunal appellationis. Nunc, vero, ex iis quae audivimus, quaeque actor declaravit singulis quaesitis sibi a Judice positis respondens, magis magisque enucleando suam firmam, aeque ac perversam, voluntatem juris prolis, et quidem in perpetuum, excludendi ab ineundo coniugio, procul dubio desumitur *conditio de futuro contra matrimonii substantiam*, idque modo tam claro, ut difficile, in his causis, similis inveniri possit confessio. Nec jure affirmaretur varias actoris declarationes esse pedetentim subtiliores ac firmiores: nam subsequentes nihil substantiale praecedenti, seu primae, adiungunt,

neque culpae actoris tribui potest si officium instructionis, repetitis atque exquisitioribus quaesitis apud eum instans, responsa semper magis perspicua et adminiculata provocavit.

Cum viro perfecte concordat conventa, saltem in prima eius depositione, quae animo non praeoccupato reddita fuit. Ubi, postquam *suo modo* (qui a medicis et ab ipsa eius matre mendacii coarguitur) de morbo juvenis, ac de eius sanabilitate, locuta est, prosequitur: « Lui ha proposto di non aver figli, ed io ben contenta ho accettato, perchè temevo di avere un figlio simile a lui. A mia madre dispiaceva una tale cosa. A questa osservazione di mia madre, egli rispose confermando la sua volontà, aggiungendo che, se avesse dovuto avere un figlio, non si sarebbe sposato e che, nel caso che io fossi rimasta incinta, mi avrebbe fatto abortire. Questo proposito *fu assoluto e valevole per tutta la vita* ».

Paulo post, rea ostendit haec non fuisse tantum theorice jactata; nam in intimis maritus constanter media sterilitatis adhibuit ac mulieri adhibenda curavit; pariterque mulier confirmat tentamen procurandi abortum quando dubium de praegnantia ortum est.

Quae quidem gravissima et extra aequivocum sunt. Siquidem, nullo modo ambigi potest per relata conventae verba, non modo firmum ac positivum, itemque invincibilem, in viro, voluntatis actum, bonum prolis excludentem, confirmari, sed *et condicionem ab eo appositam, in pactum deductam, ab altera parte acceptatam.* Quid enim aliud exprimunt verba illa: « *a questa osservazione di mia madre, egli rispose confermando la sua volontà, e aggiungendo che, se avesse dovuto avere un figlio non si sarebbe sposato* ecc. », vel alia illa: « *lui ha proposto... io ben volentieri ho accettato* ecc. »?

Unde, non sat intelligitur sententia alterius gradus, ubi affirmat:

« Quidquid sit, certum est conventam *ne verbum quidem fecisse de vera condicione contra bonum prolis* a Bruno apposita ». Utique, bene dicit haec sententia si de verbo « conditio » quaestio fiat, quod re vera a conventa pronunciatum non fuit; non autem si de sensu ac substantia.

Nihil officit quod eadem mulier in altera instructione deposuerit: « Aggiungeva Bruno che, se fosse guarito, allora sarebbe venuto meno il motivo per cui non volevano figli, cioè diceva: se io fossi certo un giorno d'esser guarito, se venisse un bimbo ce lo terremmo, mentre diceva che, finchè era malato, se fossi incinta mi avrebbe fatto abortire, cioè, da quanto egli diceva, appariva la sua ferma volontà di non aver figli finchè non fosse certo d'esser guarito...

Dopo circa un mese dalle nozze, per un ritardo delle mestruazioni, ci fu un dubbio che io fossi incinta. Bruno si mostrò felicissimo; mi disse di parlarne io con sua sorella, ma di non dir niente a mia mamma, perchè voleva prima consultare il dott. Franzi, per sapere se avesse dovuto farmi abortire, o no, e ciò secondo le sue condizioni di salute. Egli avrebbe desiderato aver figli, ma li escludeva solo in quanto era malato, e conservava la speranza di guarire perchè i suoi l'illudevano su ciò ».

Haec conventae dicta, quae postea, in ulteriore examine, jussu tribunalis alterius gradus peracto, valde immutata atque attenuata fuerunt, fidem quamcumque sibi conciliare non possunt. Et mirum est quod in sententia alterius gradus reperiatur scriptum: « Punctum saliens huius inquisitionis in eo est an fidem praestare possimus depositionibus partis conventae, quae non univocae sunt, sed inter se contrastantes (sic). Primi judices fidem primae depositioni praestiterunt, sed cur nam non ita admittere debemus etiam secundam et tertiam? »

At facilis est responsio: nempe, praecise quia non univocae sunt.

Quod cum verificatur, ex regula prima ceteris praefertur. Sed, non absque solidis argumentis primi Judices primam, inter conventae depositiones, elegerunt, ac sufficit eorum sententiam perlegere ad argumenta haec cognoscenda ac recte aestimanda.

Quibus et rationes a validis Patronis allatae addendae sunt.

Tandem, duo adhuc Patres attente considerarunt, videlicet:

a) - Conventam esse prorsus *singularem* in assertionibus illis, quae in eius altera depositione continentur, et non solum per testes aut documenta quaevis non valuisse illa probare, sed, ut jam dictum fuit, in tertio vadimonio illa eadem labefactare conatam esse. Ne dicatur depositionem partium valorem utique non habere in probando contra vinculum, grave autem et peculiare momentum praeseferre, secundum Rotalem jurisprudentiam, in iis quae vinculo prosunt; nam haec norma certo applicari potest ac debet quoties depositio sit constans ac firmiter sibi cohaerens, non autem quando ita vacillans ac nutans invenitur, ut de influxibus, qui a veritate et a conscientia non procedunt, suspicionem moveat.

b) - Sed, dato etiam et non concesso quod vir ita aliquando locutus fuerit, prouti mulier in altero examine ipsi adscribit: quid tenendum esset *de perpetuitate juris traditi*, si ea lege iste infirmis contraxit, ut proles non procreanda esset nisi in casu, valde futuro, improbabili et hypothetico (recolantur verba doct. Franzi: « *Sapeva che la malattia era inguaribile, e quindi non contava sulla guarigione* », quod morbus plenam sanationem pertingeret?

Itaque, verba alterius mulieris depositionis acceptentur aut refutentur: at, si prouti sonant accipiuntur, cum exprimant sine dubio limitationem, quae *ipsum consensum*, per pactum, ingressa esset, de perpetuitate juris traditi, ideo de validitate contractus, jam actum esse tenemus.

2°) - Per testimonia fide digna. Recolantur, ante omnia, ea quae superius retulimus ex depositione medici Ronca, ac sororis actoris Claudiae. Ex his testibus, non est dubium virum proposuisse mulieri excludendi prolem *pro semper*, ratione gravis morbi, quo laborat, et mulierem huiusmodi propositionibus plene adhaesisse. Ex hoc, pactum quod matrimoniali consensui vulnus lethale intulit.

Quod pactum confirmant, de propria scientia, pater actoris, itemque mater, mater conventae, et insuper Andreas, testis a conventa inductus: qui eo magis credibiles sunt, quia res directe percepererunt et de iis referunt in prima instructione, quando simpliciter agebatur de probando morbo mentis. Quin imo Patres non aufugit tam matrem actoris, quam matrem conventae ita, in praedicta causa de amentia, locutas esse, ut assumpto parum proficiat earum informatio. Dixit enim prima: « ... durante la mattinata (mio figlio) è abitualmente intontito, e non ricorda quello che avviene intorno a lui. *Non posso dire che sragioni* », et altera: « Io ritengo che, nel fare il matrimonio, Bruno fosse cosciente di quel che faceva. Io credo che avesse il concetto del matrimonio; benchè, come ho detto, escludesse i figli ». Quod probat testes praedictas magis veritatis amore, in deponendo, duci, quam studio utcumque, etiam indebite, partes, vel partem actricem juvandi.

Neque, circa hoc, quovis pondere carens dicendum est testimonium Episcopi Victorii, qui, etsi pactum vel condicionem non commemorans, dixit tamen: « Ritengo piuttosto la nullità per l'esclusione della prole ». Quod, attenta dignitate proferentis, eiusque scientia theologica, de qua praeclare refert doctus P. Agathangelus, Procurator Gen. Ordinis, graviter considerandum est. Nec nocet quod Episcopus praelaudatus etiam de capacitate mentis actoris, saltem post matrimonium, dubitavit; nam ex una parte uidam, nec levis, morbus in actore admitti debet, et ex altera mirum non est quod ecclesiasticus in re medica errare potuerit; dum e contra praeclarus Vir, circa exclusionem boni prolis, habebat tamquam scientiae fontes informationes consanguineorum, tempore separationis receptas, cum adhuc non cogitabatur de nullitate: quas notitias exigere potuit lumine suae doctrinae et rectae conscientiae sacerdotalis.

Sunt et alia non spernenda testimonia, ex quibus evincitur vi-

rum propositionem de prole evitanda manifestasse tamquam condicionem, *sine qua non contraxisset.*

De tali condicione *expresse* loquitur non solummodo Franzi, qui, ut minus recte affirmat sententia alterius gradus, esset de hoc testis singularis, sed etiam soror actoris Claudia, ac tandem mater.

Ait praefatus doctor, et quidem in causa ex amentia: Bruno sapeva d'essere affetto da epilessia. Per questo motivo, non voleva assolutamente figli. Ciò diceva apertamente prima delle nozze. Lo disse a me e lo diceva anche di fronte ad altri...

Io conosco da circa sedici anni Bruno. Abito nella stessa casa e l'ho assistito nelle sue crisi epilettiche terribili, nelle quali perde la coscienza, si lussa il braccio sinistro, e corre anche rischio di vita. Egli sa che la sua malattia è inguaribile, per questo motivo egli escludeva in modo assoluto e perpetuo i figli...

Come ho già detto, Bruno era l'amante della Cocchi, poi si decise a sposarla, *ma a condizione di non voler figli* ».

Et altera: « Seguendo il mio suggerimento, *egli ha posto come condizione esplicita* di non aver figli ».

Denique mater: « So che, prima del matrimonio, i due pattuirono di escludere la prole, per timore che i figli nascessero malati.

Questo seppi da mio figlio prima del matrimonio: lo andava ripetendo. So che anche la Cocchi ha accettato *questa condizione pattuita* ecc. ».

Sed heic, pariter, non est omittenda mentio matris conventae, quae, etsi verbum expresse non proferat, tamen conceptum consensus a viro sub condicione prolati satis innuit: defert enim Judici quod filia sua Brunoni, patefacienti voluntatem excludendi et evitandi procreationem filorum, quondam respondisse: « ... se verranno... ».

Et tunc ipsa testis addit juvenem declarasse absolute: « in questa ipotesi la farei abortire ». Dein, eadem testis concludit: Dopo questo, anche mia figlia acconsentì a non voler figli ».

Quod episodium, indirecte saltem, existentiam condicionis bene confirmat, nam actorem ita dispositum praebet ut potius matrimonio quam voluntati non suscipiendi prolem renunciet, et aliunde puellam ideo se voluntati viri accommodatam exhibet, quia secus matrimonium, pluribus motivis ab ea exoptatum, evanuisset (v. ad hoc deposition testis Stephani, fratris laud. Episcopi in qua non modo mentio fit de huiusmodi motivis, sed etiam *de condicione*, de qua testis notitiam habuit paulo post matrimonium).

Igitur, poterit quis sustinere (ut praecedens sententia Rotalis innuere videtur) verbum « condicio », in praesentiarum, improprie a nonnullis testibus adhibitum, non exprimere juridicum conceptum

consensus vere sub condicione dati: cui sententiae, quam falsam nemo dicere auderet, non subscribimus; poterit etiam dicere testes, qui de condicione loquuntur, non esse fide dignos: cui respondemus quod si matri actoris et matri conventae fides praestatur, quando, in causa de amentia, contra assumptum se pronunciant, ratio non videtur ob quam plena fides ipsis detrectari debeat, quando, expresse vel aequivalenter, de condicione deponunt. Sed nemo rationabiliter proferre poterit *solummodo* doct. Franzi de condicione loqui, qui proinde esset *testis singularis*.

Concludendo: cum plene ex actis eluceant sive simulantis vel simulantium confessio: sive gravissima simulationis causa, quae de se in perpetuum duratura erat, sicut partes non ignorabant: sive circumstantiae simulationi faventes, prouti fuerunt praesertim pessima consilia medica ac reprobandae exhorationes familiarium viri, item constans mos ononisticus a partibus in amplexibus, ante et post matrimonium, adhibitus, denique tentamina vel colloquia de abortu procurando, ubi primum suspicio orta est de eventuali mulieris praegnantia: cumque, ceteroquin, de condicione contra bonum prolis a viro apposita, et a muliere acceptata, vel *saltem* de pacto a nupturientibus inito, clara adsint testimonia, quibus fides non est cur detrectetur: sacramentale vinculum, in casu, per pravam contrahentium voluntatem irritum factum fuisse Domini Judices non dubitarunt.

Quibus omnibus mature perpensis... ad dubium propositum: « *Sententiam Rotalem diei 20 martii 1848 esse infirmandam; ideo constare de matrimonii nullitate, in casu; vetito tamen viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sancta Sede, idest hoc Apostolico Tribunali* ».

Arcturus Wynen
Petrus Mattioli, ponens
Emmanuel Bonet

N. B. - Adversus hanc sententiam, Defensor vinculi ulterius, *pro sua conscientia*, appellandum esse retinuit; sed, die 5 maji 1951, in Turno coram R. P. D. Pasquazi, quinta sententia prodivit, quae praesentem confirmavit et exsecutioni mandata est.

Sententia coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*.

die 25 julii 1951 lata.

Species facti: Christiana, 23 annos nata, quamvis fidem iam dedisset cuidam Roberto, juveni catholico, inopinato et improviso attentavit matrimonium cum H., coram ministello, d. 1 julii 1937. Instante autem matre, die sequenti, in ecclesia cathedrali E. canonice eumdem virum H. duxit, obtenta prius dispensatione ab impedimento mixtae religionis. Post novem menses vitae coniugalis, Christiana a viro discessit, ob adulterium huic obiectum; die vero 21 iulii 1939, matrimonium, ex culpa viri, ab auctoritatibus civilibus divortio emendatum est, et Christiana, post 8 dies, cum Roberto in foro civili se coniunxit, ex quo 4 filios peperit. Ad consulendum conscientiae suae, Christiana in Curia E. matrimonium cum H. initum, nullitatis accusavit, ob metum ipsi a matre incussum. Sed causa contra actricis vota, die 20 octob. 1948, a Tribunali Curiae E. decisa fuit.

Interposita ab actrice appellatione ad S. Congr. S. Officii, causa ad H. S. O. transmissa est, qui ulteriorem causae instructionem iussit atque peregit. Lite pendente, patronus actricis Commissionem Pontificiam petiit atque obtinuit, ut adderentur duo alia capita nullitatis, id est exclusi boni sacramenti, necnon boni prolis. Cum, denique, ex actis causae emerserit plures intercessisse, in processu instructorio Tribunalis E., irregularitates, nova, instante patrono actricis, petita est Commissio Pontificia, ut nempe causa ex capite metus in primo iurisdictionis gradu a N. S. O. discuteretur, si sententia Tribunalis E. nulla iudicata esset; deinde, ut citatio rei conventi, in contumacia persistentis, omitti posset. Qua Commissione Pontificia d. 12 mai 1951 obtenta, hodie Nobis respondendum est sequentibus concordatis dubiis:

I°) - « *An constet de nullitate insanabili sententiae Tribunalis E., die 20 octobris 1948 latae, in casu* ».

II°) - « *An constet de nullitate matrimonii, in casu* ».

In Jure. - 2. *De nullitate sententiae* recoluntur principia iuris, statuta in can. 11; 1680 § 1; 1892; 1894, C. J. C.

De merito causae.

Quoad metum, nota sunt elementa a can. 1087 § 1 C. J. C. statuta, quae unice invalidant consensum (metus gravis, ab extrinseco et iniuste incussus). Cfr. sent. Rotalem diei 28. 1. 1950 coram me Ponente, in una *Romana*.

Quoad simulationem consensus, irritus est matrimonialis consensus, si cum positiva intentione boni sacramenti vel boni prolis excludendi eliciatur (can. 1086, § 2). Simulatio vero, ut patet, gravibus argumentis probetur oportet.

In Facto. - 3. Obiectiones Defensoris Vinculi circa quasdam irregularitates, a Tribunali primae Instantiae commissas, excepit quoque Patronus actricis; uterque sententiam dicti Tribunalis nullitate insanabili arguit. Attenta vero tota re et causa, obiectiones factae non videntur esse eius indolis, ut nullitatem sententiae adducere possint. Siquidem:

a) *De constitutione Tribunalis collegialis.*

4. - Juri non respondent quae Defensor Vinculi affirmat, videlicet: Sententia nullitate laborat, si tribunal collegiale, lite pendente, non quidem initio litis, constituitur. Id non sequitur ex allegato can. 1892, a quo requiritur ut sententia *feratur* a Tribunali collegiali. Ad validitatem enim actorum instructionis, non requiritur ut ea acta conficiantur iam constituto Tribunali collegiali, quorum membra, si excipiatur. Ponens seu Praeses Tribunalis, qui iam habet vi officii iurisdictionem, nil agunt, cum non sit procedendum collegialiter; et plerumque coniudices ignorant instructionem fieri.

In casu, autem, iam ab initio constitutum est Tribunal collegiale (Cfr. folium constitutionis Tribunalis diei 27 novembris 1946 - in actis), quamvis postea iudices variis de causis mutati sint.

b) *De defectu libelli.*

5. - Asserta nullitas ex defectu libelli nulla lege nititur. Etenim dummodo, uti maxime in matrimonialibus causis contingit, obiectum litis ac partes manifestae sint, satis est ut iudex valeat ea quae ad causam instruendam necessaria sint perfici iubere: (Cfr. c. Wynen, *Dubuquen.*, Nullitatis Sententiae et Matrimonii, diei 12 novembris 1949, n° 8 et n° 11). In casu, praeterea, praevia inquisitio, petente Christiana, atque relatio Vicarii Generalis necnon petitio de instaurando processu, nomine Christianae, uti implicitum erat, locum libelli tenebant, et ultra.

c) *Defectus cancellarii.*

6. - Non probatur, cum ipse cancellarius declaret se acta, ab ipsomet confecta, rescripsisse, maioris claritatis gratia. Nec probatur operam cancellarii defecisse in conficiendis actis essentialibus. Neque postremo probatur legitime constitutum non fuisse notarium, qui scripsit depositionem Christianae die 16 aprilis 1947, cum altera vice in iudicio excussa ea est.

De merito causae

1° - *De metu.*

7. - Acta causae clare ostendunt, quod etiam Christiana actrix admittit, ipsam libere contractui matrimoniali cum H. extra Ecclesiam inito, consensisse: imo, mater Christianae refert se nihil de hac re scivisse: « fu una cosa assolutamente improvvisa »: Christiana insuper innuit matrem suam talem eventum nequaquam exspectasse: « ella restò stordita ». Dari potest nervosam puellam Christianam, vix attentato cum H. matrimonio, sententiam mutavisse, atque noluisse indissolubili vinculo cum eodem coniungi: ex quo, nocte tota, maneque sequenti, lacrimae atque animi perturbatio, uti testes extra dubium ponunt. Hisce non obstantibus, mane diei 2 julii, Christiana adiit ad Cathedralem atque consensum praestitit, non quia, uti nunc asseritur, coacta fuisset a matre, sed *libere*, quamvis aegre, videlicet ut matri placeret, utque tandem pace frueretur. Id Christiana confessa est coram pluribus: primum coram D.na Aloysia, quae cum ipsa noctem nuptias praecedentem peregit, eamque agitatam audivit dicentem: « Ora mamma sarà soddisfatta »; secundum eamdem testem, Christiana, celebratione nuptiarum, matri gratum facere voluit. Deinde testis Caecilia, Christianae matertera, concinit: « la cosa importante sembrava quella del far piacere a sua madre ». Ipsa denique Christiana in iudicio fassa est: « Io pensavo che con ciò mi sarei liberata dalle mie difficoltà ». Idem existimavit Rev. M., expleta inquisitione praevia, videlicet Christianam nupsisse dno H. « soltanto per far piacere alla madre e mettere fine alle proprie tribolazioni ».

Etenim mater summas movit difficultates, ne filia dilecto Roberto nuberet; itaque filia matri morem gessit, amore erga eamdem mota, quod a matre in iudicio aperte ostenditur: « ella aveva fatto ciò per farmi contenta... e per farla finita con le liti che avvenivano tra me e lei, a causa di Robrto... »

8. - Ne dicatur tamen Christiana fuisse imperio matris obruta, proinde ipsa matri succubuisse. Enimvero, mater non probatur metum intulisse in filiam; sed, iuxta jus officiumque matris catholicae, institit, moderamine quidem servato, ne filia in concubinatu cum H. viveret, ideoque Christianam verbis, ne importunis quidem, impulit, ut in facie Ecclesiae nuptias tandem celebraret. Nam nemo, ne Christiana quidem, facta aut verba retulit, ex quibus materna coactio comprobetur. Mater autem, quae in iudicio nec lacrimas filiae nec reluctantiam tacuit, inter cetera deposuit

haec: « Definitivamente ella offrì resistenza a noi. Io le dovetti ricordare che Monsignore ci aspettava ». Haec, aliaque eiusmodi, non significant injustam et gravem coactionem; unde, meticulosus consensus ex actis et probatis non emergit probatus.

2° - De exclusione indissolubilitatis.

9. - Contenditur Christianam cum H. nonnisi coniunctionem ad tempus inire voluisse; ideoque, coram ministro acatholico, non in facie Ecclesiae, nubere intendisse, cum, iudicio Christianae, iustae nuptia fuissent: « un legame troppo stretto ». Ergo, adacta a matre, celebravit matrimonium positive excluso vinculo perpetuo, sciens bene se, sine dilecto Roberto, vivere non posse; et revera Christiana novem post menses abiit, ad maritum numquam reversura.

10. - At, vero, ille animus excludendi perpetuitatem a vinculo non respondet definitae voluntati, quam Christiana, consensum praestans, habuit, ut scilicet matri placeret seseque tandem liberaret. Eiusmodi finis non componitur cum voluntate quam citius divertendi. Sibi enim plane cohaerens, Christiana confessa est: « Sì, mi credetti veramente sposata ». Id existimare haud potuisset, si positive voluisset divertere, nam utique noscebat distinctionem inter matrimonium catholicum indissolubile, et unionem ad libitum dissolubilem.

Denique Christiana de solvendo vinculo tunc tantum cogitavit, cum, post novem menses, adulterium mariti detexit. Proinde, neque ex capite exclusi boni sacramenti asserta nullitas matrimonii probata resultat.

3° - De exclusione boni prolis.

11. - Christiana admittit se nonnisi post nuptias de excludenda prole locutam esse, consentiente quidem marito, qui iam ad iter nuptiale media conceptionem impedientia secum tulisse asseritur. Quo non obstante, censuerunt Patres, Christianam viro, quem duxit, ius ad prolem negavisse.

Siquidem, ipsae matrimonii circumstantiae praesumere suadent Christianam, nervosam illam puellam, aegerrime, quamvis libere, nuptiis consensisse, ac Roberto, cui fidem sponsalitiam dederat, benevolam remansisse; quod etiam ex verbis Christianae, iter nuptiale aggredientis, deducere licet: « che differenza se questo fosse Roberto! »

Sed Christiana *plane* asserit se prolem ex marito non habituram ante celebrationem decrevisse: « io non volevo aver prole, perché io non amavo H. Semplicemente io non volevo aver figl da lui ». Gravissimae huius assertionis producuntur testes, qui confirmant intentionem Christianae bono prolis contrariam.

Prima est testis Aloysia, quae narrat Christianam, per totam noctem praenuptialem, agitatam nervis, lamentatam esse, quod filios non esset paritura, quoniam dilecto Roberto nubere non potuisset; eadem testis innuit Christianam tunc repetiisse quoque se, per matrimonium cum H. celebrandum, voluntati matris satisfacere velle.

Grave quoque indicium, pro absoluta prolis exclusione, iam ante nuptias decreta, eruitur ex aspera denegatione, quam Christiana in itinere nuptiali dedit amitae Rosae, interroganti de prole, prolemque pro felicitate coniugii exoptanti.

Nec dissimiliter respondit Christiana amicae Helenae, quae etiam fuit testis celebrationis matrimonii. Haec enim confirmat intentionem Christianae, illico post celebrationem matrimonii ipsi manifestatam, se prolem suscipere nolle. Veracitas vero testis Helenae ab Episcopo commendatur.

Quidquid autem de pace, inter Christianam et maritum, dicit testis Mariae, hoc certum est: vitam inter eos brevissimam fuisse, atque abruptam ob adulterium viri, nulla prole recreatam, dum Christiana, Roberto coniuncta, quattuor suscepit filios.

Proinde, ex hoc capite, exclusi nempe boni prolis, nullitas matrimonii probata accipi potest.

12. - Quibus perpensis, respondemus ad dubia:

Ad I) - Negative, seu non constare de nullitate sententiae in primo gradu latae;

Ad II) - Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu.

Andreas Jullien, Decanus
Boleslaus Filipiak, Ponens
Petrus Mattioli

Coram R. P. D. Dino Staffa, Ponente

CLEVELANDEN

Nullitatis Matrimonii

(RIZZO-COVER)

SENTENTIA DEFINITIVA

In Nomine Domini. Amen.

Pio PP. XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo sexto, die 9 aprilis anni 1954, RR. PP. DD. Dinus Staffa, Ponens, Joseph Pasquazi et Pericles Felici, Auditores de turno, in causa Clevelanden. Nullitatis Matrimonii, inter Russel Rizzo, actorem, repraesentatum per legitimum suum Procuratorem Renatum Ottaviani, Advocatum, et Betty Sue Cover, mulierem conventam, interveniente et disceptante in causa R. P. Joseph Sirna, O. M. Conv. Defensore Vinculi deputato, sequentem tulerunt definitivam sententiam in tertio jurisdictionis gradu.

Species facti. - Parentum contrarietate superata, Russel Rizzo et Betty Sue Cover die 1 novembris a. 1943 laeti nuptias obibant, quae in ecclesia paroeciali Sanctae Mariae civitatis Painesville celebratae sunt, dispensatione obtenta super impedimento mixtae religionis et, ad cautelam, cultus disparitatis. Vir, optimis moribus imbutus, officia catholicae religionis fideliter implens, lauream doctoralem in arte medica vix erat consecutus; mulier autem, nulli religioni adscripta, levissimae indolis et turpibus amoribus facile indulgens, in ludibus gymnicis praecellebat. Hac animorum et institutionis diversitate, post paucos menses ab initio, coniugale consortium scissum est, quod potius vehemens passio quam verus amor obstrinxerat; dein mulier ad suos rediit, divortium obtinuit et ad alias nuptias convolavit; vir quoque novum matrimonium civile quod vocant attentare cupiit, sed restitit pater suus eidem suadens ut ad obtinendam declarationem nullitatis initi matrimonii ageret apud Ecclesiae tribunalia. Die igitur 27 iulii a. 1947 vir causam instituit apud Tribunal Clevelandense, vinculum impugnans ex capite exclusionis boni fidei, boni Sacramenti et boni prolis, et Judices primi gradus die 18 augusti a. 1949 edixerunt ex nullo capite de nullitate constare.

Actore appellante ad N. S. T., RR. PP. DD. primi turni, die 10 iulii a. 1953 autumarunt de nullitate vinculi constare ob exclusum bonum prolis, duobus aliis capitibus reiectis. Cum ergo super bonis Sacramenti et fidei duplex lata sit sententia negativa, nunc disceptari non potest nisi de tertio capite, quod prior sententia negavit et altera adiunsit. Quapropter, appellante Defensore vinculi N. S. O., Nobis

hodie decidendum est: « An sententia Rotalis diei 10 iulii a. 1953 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

In jure. - Cum de nullitate matrimonii controvertitur ob exclusum bonum prolis, distingui solet utrum usus tantum an jus ipsum recusatum fuerit ad actus per se aptos ad prolis generationem. Haec distinctio inter jus et usum, quae iuxta ordinem logicum matrimonium respicit in facto esse, obiective realis est, at plurimos nupturientes effugit. Perperam igitur in his casibus, cum de investiganda agitur intentione contrahentis, inquirendum dicitur utrum jus an solum usum excludere voluerit: quod enim non cogitatur mente, voluntate respui nequit. Propterea, cum iuris imperiti negative respondent quaesito utrum iure matrimonialia comparti cedere voluerint et eo vel magis si eadem recusasse ultro asseverant, merito suspicamur utrum a iureperito responsum aut deponendi rationem didicerint; si e contra asseruerint se iura et obligationes suscepisse, dubitandum est utrum quaestionem recte intellexerint, cum frequenter ignorent contractum irritari limitatione consensus.
Juxta logicae et psycologiae normas, ubi a nupturientibus quaestio facta non fuerit de iure ipso excludendo, rectius et utilius inquiritur utrum contrahens consensum in matrimonio praestandum limitare voluerit, id est utrum conditione aperte declarata aut mente retenta matrimonium celebrare noluerit nisi excludendo prolem: hanc vero consensus limitationem effugere non potest suum auctorem.

Consensus positive limitatur quoties contrahens, coram se habens duo obiecta: i. e. matrimonium verum seu in sua substantia perfectum, et matrimonium in sua substantia vitiatum, prius obsolute reicit, ita ut illo alterum praevaleat. (Cfr. D. Staffa, *De conditione contra matrimonii substantiam*, Romae, 1952, nn. 16 ss.).

In facto. - Cupida libertatis et ludibus se dicandi, in quibus emicabat, timens dolores partus et maternis monitis obtemperans, sensus infensos proli Betty fovebat: « prima che essa si fidanzasse – refert Johannes Pritchard —... essa mi disse che, se si sposava, non voleva essere confinata dai bambini » (pp. 23, 27); item mater actoris duos menses ante matrimonium audivit sponsam dicentem: « Non mi piacciono i bambini » (p. 34, 15); adhuc graviora deponit actoris pater: « Circa due o tre settimane prima del matrimonio, la signora Saba... era ammalata all'Ospedale della Carità... Betty e le due figlie della signora Saba erano nel corridoio. Io presi l'occasione per parlare di nuovo a Betty... Suggerii ad essa che non poteva crescere i figli cattolici se non era cattolica essa stessa. Allora essa disse: — Io non avrò mai dei figli. — Disse che non amava i figli » (p. 46, 16). Quamvis insuper ante matrimonium sponsae suae vir desiderium prolis manifestasset, mentem suam mulier non

aperuit (p. 5, 21), et celebratis nuptiis « domandava — ait vir — molte questioni intorno alla teoria del ritmo; ottenne una carta e pigliò subito la sua temperatura per il retto ogni mattina per stabilire il periodo dell'ovulazione... nel dicembre 1943 essa voleva prendere degli antifecondativi... voleva andare alla Clinica della Salute Materna per farsi apporre un diaframma. Io ero contrario, ma essa era ostinata. Non andò, però, forse perché era imbarazzata... Nel febbraio 1944, essa mi disse che non voleva figli, che era troppo doloroso... che i figli sarebbero la rovina del suo corpo. Essa non poteva soffrire... il minimo dolore... era cresciuta con queste idee » (pp. 7 et 9, nn. 57 ex officio, 54, 38). Nihilominus « Essa diventò incinta in febbraio o marzo » (p. 6, n. 32), sed mense iunio expleto abortum procuravit (p. 7, 32), et virum dereliquit. De abortu dubitandum non est, cum ab omnibus causae actis eruatur; item in epistola paulo postea ad matrem suam missa, die 24 iulii a. 1944, mulier scribebat: » non voglio dei figli » (p. 54).

Voluntate mulieris quodammodo infensa proli probata, videndum est utrum haec voluntas ita praevaluerit ut consensum vere matrimonialem limitaverit.

Imprimis animadvertendum est quaedam componi non posse cum iis quae retulit actoris pater: dum enim ait duas filias dominae Saba in ambulacro fuisse cum ipse locutus est sponsae, Virginia Saba non vidit testem (p. 57,41) imo contendit se mulierem conventam audivisse dicentem: « che essa voleva figli » (p. 56, n. 30); Josephina Saba ad hospitale non ivit (p. 60, n. 43), eique Betty declaravit: « che se ci fossero stati dei figli, essa li avrebbe fatti crescere cattolicamente » (p. 59, n. 31 ex officio).

Praeterea, etsi vera sint quae actoris pater narravit, verum est etiam eiusdem hortationibus ne legem divinam et naturalem offenderet, sponsam respondisse se numquam in sponsum inlaturam iniuriae (p. 46, 15).

Quod confirmatur modo quo uxor initio vitae coniugalis se gessit: « I primi due mesi siamo andati bene » asserit vir (p. 6, 32); mediis ad conceptionem impediendam aptis usa non est, (p. 9, n. 55), quia vir contrariam voluntatem expresserat (p. 9,54); de indiciis possibilis praegnantiae sollicita fuit « forse per un mese o più, poi ha perso interesse a ciò » (p. 9, n. 57 ex off.); mense februario a. 1944 se nolle filios primum aperte viro dixit (p. 7, n. 38), sed eodem mense aut mense subsequente concepit (p. 6, n. 32), fetus evolutionem per plures menses, etsi negro animo (p. 24, 36) permisit, « anzi aveva comprato delle vesti per bambini e cose simili » (p. 23 ex off.), quod clare animum indicat ad sustinenda onera maternitatis paratum. Abortum quidem Betty procuravit, sed tempore quo

eiusdem deferbuerat amor in actorem et commercium carnale instauraverat cum suo hero (p. 12, n. 15). Delictum insuper patravit matre sua in id eam instigante « Russel - testatur Rev.mus Sac. Gallena — venne da me e mi disse che sua moglie... aveva avuto un aborto. Non mi disse che Betty non volesse figli, ma che sua madre era contraria ai figli » (p. 32, 26): cum iis concordant quae asserunt Johannes Fritchard (p. 22, 25 ex off.), Thomas Kennedy (p. 27, n. 21) et pater viri: « Egli accusò violentemente la madre di Betty per la responsabilità dell'aborto » (p. 47, 17). Nisi ergo prava mater intervenisset, Betty edidisset prolem. Mulier conventa suo animo infenso contra prolem adscribit dissolutionem vitae communis (p. 3. 15), sed ex aliis causis matrimonium subsequentibus iste effectus processit: id est ex solitudine in qua eam maritus relinquebat, fastidium coniugii, amor exortus in alium virum (p. 11, 15: p. 15, 41 ex off.). Sed quae vinculum subsequuntur, eidem non nocent.

Si tandem quaeratur quomodo fieri potuit ut mulier, quae pluries voluntatem excludendi filios ostenderat, postea nihil fecerit ad impedimendam generationem, imo de facto conceperit et enimum habuerit educandi prolem, quam de consilio matris necavit antequam nasceretur, responsum quaesito invenitur in mulieris ingenio « leggero, tipo civetta, mutevole, capricciosa » (pp. 11, 15; 16, 53; 30, 44; 36, 23 et 27; 39, 54; 44 linea 3; 59, 22), et in eius defectu sensus moralis, ita ut sive factis facile sibi contradiceret.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato edicimus, decernimus et sententiamus: « Nos constare de nullitate matrimonii, in casu »: proposito dubio respondentes: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram, seu sententiam Rotalem diei 10 iulii a. 1953 esse infirmandam, in casu ».

Ita pronunciamus, mandates Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos pertinet, ut hanc Nostram definitivam sententiam exsequantur et adversus reluctantes procedant ad normam iuris, praesertim L. IV, Tit. XVII, C. J. C., iis adhibitis exsecutivis ac coërcitivis mediis, quae pro rerum adiunctis opportuniora et efficaciora existimaverint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 aprilis a. 1954

(Sign.) Dinus Staffa - *Ponens*
Josephus Pasquazi
Pericles Felici
Hugo Felice - *Not.*

TRIBUNAL APPELLATIONIS BONONIENSE

AURELIO SABATTANI, Off., Ponente

Nullitatis matrimonii (ex capite impotentiae mulieris)

Sententia definitiva diei 5 augusti 1954

1. - SPECIES FACTI. Sponsam absolute dimittere intendebat G., eo quod in intimitatibus difficultates experiebatur, insuperabile obstaculum persentiens in penetratione. Idque mulieri jam signaficaverat, quando I. ei nuntiavit ex sponsaliciis relationibus se gravidam effectam.

Miratus quod ex admisso imperfecto commercio effectus huiusmodi consecutus fuerit, sua dubia sponsae patefecit circa obiectivam praegnationis existentiam.

Communi consilio medicus, a sponsis aditus est. At G. foras sistitit ante cubiculum medici, quod mulier tantum intravit.

Doct. X., videns « un addome globoso con accumulo di adipe, che poteva essere scambiato con una vera massa uterina del volume di un utero al 4° mese », quin procederet ad inspectionem suae artis propriam, « sentendo da lei che il fidanzato ammetteva la sua responsabilità », confecit deditque mulieri testificationem de statu praegnationis, « che doveva servire per il premio di nuzialità ».

Tali documento freta, I. matrimonium petiit, quod G. detrectare non est ausus, ratus etiam quod, si filius nasceretur, « lei diventerà normale come le altre donne ».

Nuptiae sunt proinde celebratae in Ecclesia paroeciali.

Cum vero, succedentibus mensibus, generatio frustra exspectata fuerit, G. opinionem alterius medici audire decrevit. Ita Doct. Y., edixit, post inspectionem, non solum praegnationem non adesse, sed nec haberi posse.

Gynecologus civitatis, Doct. Z., eandem sententiam confirmavit.

Vir, quando primum cum uxore egit de consortio abrumpendo, persensit obstinatam reactionem mulieris, quae sibimetipsi mortem inferre minitabatur.

Tandem anno 1950, actor Tribunal Regionale adivit, petens declarationem nullitatis sui matrimonii *ob impotentiam uxoris*. Et, reapse, die 29 decembris 1951, exivit sententia actori favorabilis.

Appellante, pro suo munere, Vinculi Defensore, novisque indagationibus executis, causa nunc solvenda venit sub sueta dubii formula: « *Utrum sententia Tribunalis Regionalis diei 29 decembris 1951, confirmanda vel infirmanda sit, in casu* ».

II. In Iure.

1) *Praesens status jurisprudentiae et doctrinae circa quaestionem vaginae occlusae.*

Causa nullitatis, quae Nos intentos tenet, brevi absolvi posset, si Patres indulgere vellent genericis affirmationibus, quae circumferuntur in processibus huiusmodi. Expeditior immo, in praesens, esset via, eo quod decisio Nostra confirmat sententiam primae instantiae quoad partem dispositivam.

Rati tamen praecipuam partem jurisperiti esse in tradenda via et methodo, qua logice ad pronuntiationem devenitur, Patres censuerunt sibi sat immorandum esse in expoliendis iuridicis rationibus, quae praesunt subiectae materiae.

Provincia enim huiusmodi tota exagitata est et locum praebet decisionibus inter se contrariis necnon obiurgationibus auctorum praesertim laicorum contra jurisprudentiam Ecclesiae.

Sufficiat innuere duas sententias, quae sibi invicem minime sunt constantes.

a) Decisio S. R. Rotae, *c. Caiazzo*, in causa Isclana, diei 23 aprilis 1942 (Vol. XXXIV), quae *validitatem* sanxit in huiusmodi facti specie: « A circa due centimetri e mezzo dall'ostio vaginale, il dito è fermato da un setto che ha la consistenza dell'epidermide, che ostruisce completamente il canale vaginale, formando come un cul di sacco, che nettamente divide la vagina dal collo dell'utero ».

b) Decisio S. R. Rotae, c. Canestri, in causa De Peramiho, diei 23 decembris 1941 (Vol. XXXIII, Dec. 89, pag. 960), quae *nullitatem* recognovit in sequenti facti specie: « Vagina habet longitudinem solummodo 4,5 cm.; introitus vaginae a digito Hegarii n. 14 penetrari potest, et vagina est occlusa... Vagina partialiter tantum est occlusa... ».

Haec diversitas practica provenit, ut pronum est, ex diversitate doctrinae, quibusdam opinantibus functionem vaginae esse *tantum receptivam* seminis; aliis vero requirentibus functionem *receptivam et simul transvectivam* eiusdem seminis. Rationes hinc inde adductae referuntur a D'Avack (Cause di nullità ecc., Firenze, 1952, pag. 668-673).

In sententia S. R. Rotae, c. Exc.mo Iullien, diei 7 februarii 1927 (Vol. XIX, Dec. 5, p. 25 sqq.) reprobata est thesis, quae hisce continetur verbis: « vagina debet non modo recipere semen, sed permittere ut semen intra eam receptum valeat transire ad collum uteri ». Nihilominus recens decisio item S. R. Rotae, c. Fidecicchi, diei 3 aprilis 1951 - Prot. n. 55/51 (Apud: « Il Diritto Ecclesiastico, 1954, Fasc. I., p. 113) affirmavit: « Huius organi muliebris officium

a natura praestitutum duplex est: recipere membrum virile et semen ab eodem ejaculatum ad collum uteri transmittere ».

Haec inconstantia notatur ab auctoribus. Scribit Fedele: « In tema di impotenza muliebre vi è un caso limite, per così dire, rispetto al quale la giurisprudenza è divisa più che in qualsiasi altro campo. Mi riferisco al caso della donna che abbia una vagina chiusa posteriormente, in modo da non permettere il passaggio del seme all'utero... » (Analisi di recenti sentenze ecclesiastiche ecc., apud « Ephemerides Juris Canonici », 1953, p. 403).

Immo auctores laici fere omnes (Graziani, Il caso-limite dell'impotenza muliebre, Il Diritto Eccl., 1946, pp. 98-117; Fedele, l. c. p. 405; D'Avack, l. c., pp. 681-685) contendunt adesse impotentiam etiam in casu occlusionis vaginae ob vitium uteri - (vagina aequivalenter occlusa).

2) *Decisiones Tribunalium circa vaginam rudimentalem vel monstruosam, vel arte factam.*

Judices, existimantes tantum ex profundiori examine conceptus vaginae provenire posse solutionem vexatae quaestionis, opportunum ducunt vdere quomodo jurisprudentia regat casum vaginae abnormis.

Sunt nempe in decisionibus S. R. Rotae exempla insignia:

a) *Casus de quo in S. R. R., c. Quattrocolo*, diei 9 februarii 1937 (Vol. XXIX, Dec. 10) et in S. R. R. c. Grazioli, diei 20 februarii 1941 (Vol. XXXIII, Dec. 9): « vagina non est separata et seiuncta ab uretrali ductu seu canali... sed functionem quoque obit canalis uretralis, saltem in inferiori sua parte, quum in ea aperiatur ductus, ex quo urina, in speciali vescica elaborata, manat ad extra... ».

b) *Casus de quo in S. R. R., c. Massimi*, diei 8 martii 1924, ubi mulier habebat externum uretrae foramen abnormiter dilatatum, quodammodo simulans ostium vaginae;

c) *Casus de quo in S. R. R., c. Quattrocolo*, diei 7 augusti 1929 (Vol. XXI, Dec. 48): mulier praeseferebat « loco vaginae seu organi copulatorii, utrem quemdam similem sacco, quem in nosocomio ei confecerunt chirurgi et laxaverunt proinde dilatoribus immissis, ut commisceri cum viris aliquo modo ea valeret ».

3) *Recensita jurisprudentia videtur laborare quadam incertitudine, ob defectum specificae determinationis conceptus vaginae.*

Quoad quaestionem vaginae occlusae, jam supra innuimus, contradictiones, quae inveniuntur in jurisprudentia.

Aliquando Judices dubii ancipitesque videtur de via arripienda. Quod elucet praesertim in S. R. R., c. Grazioli, diei 24 januarii

1938 (Vol. XXX, Dec. 5): « *Hisce tamen non obstantibus*, visum est Patribus post memoratam Rotalem sententiam coram Jullien anno 1927 die 7 februarii latam, eiusque confirmationem ex parte Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae..., *dubitandum sin minus esse* an in hypothesi occlusionis vaginae in una sua parte habeatur impotentia coeundi et non potius impotentia generandi ».

Quoad casus abnormitatis vaginae, quamvis decisio sit pro nullitate, *ratio decidendi* vel multiplex indicatur, vel incerta et inanis proponitur. Nam:

a) aliquando occlusionem posteriorem vaginae summare volunt cum vaginae brevitate, edicendo quod « *utrumque vitium coniunctum constituit defectum*, ex quo sequitur impotentia » S. R. Rota, c. Jullien, die 7 februarii 1937 (Vol. XIX, Dec. 5 et c. Parrillo, die 22. 10. 1925 (Vol. XVII, Dec. 53).

At effugium non relevat, quia, ut scribit D'Avack, (l. c. pag. 661): « Se si parte dal presupposto che la presenza di uno di questi due elementi non valga da solo a configurare una ipotesi di impotenza, non si comprende come e perchè il loro concorso simultaneo potrebbe inceve integrare una ipotesi siffatta » Praeinerat Graziani (l. c. p. 106) declarando: « è troppo evidente che due entità negative non possono che produrre una terza entità negativa » —

b) *alius conatus summandi elementa disperata* habetur apud S. R. Rotam, c. Quattrocolo, diei 17 novembris 1931 (Vol. XXIII, Dec. 52: « *Brevior* vagina, quia *rudimentalis* caeteris eiusdem *defectibus et condicionibus perpensis*, inepta fit profecto ordinationi naturae, seu ad copulam carnalem explendam ».

Sed hoc non evenit ob brevitatem vaginae, verum ob eiusdem patologicam constitutionem.

c) Casus de quo supra (n. 2, a) solvitur a S. R. R. observando quod « ea quae noncupatur vagina est potius uretra. Sed, *vel si id admitti nolit*, illud extra dubium est vas, quod... functiones vaginae proprias, virile semen nempe *ad uterum transmittendi* adimplere nequeat (S. R. R. Vol. XXXIII, Dec. IX, p. 78).

d) In rationibus decidendi eiusdem sententiae (Cfr. supra n. 2, a) hoc etiam argumentum sumitur: « ... quoties coitus verificatur, urina necessario in vaginam defluit. Accidit proinde quod ipsius urinae aciditate nemaspermata moriantur seu semen deveniat necessario infoecundum » (S. R. R., Vol. XXXIII, Dec. IX, p. 75-76).

Ast, nostro submisso judicio: a) Si adducta ratio valeret, cur non deberet esse causa nullitatis etiam aciditas quarundam secre-

tionum vaginalium, qua necantur nemaspermata? Hoc vero omnes excludunt; b) Si naturalis necrospermia non excludit verum semen, quomodo relevare potest haec posterior nemaspermatum occisio, quae fieret quando iam actio hominis completa esset?

Ratio proinde tradita pro huiusmodi monstruositate vaginae definienda, seu includenda in finibus nullitatis, minus apta dicenda videtur.

e) *In casu vero vaginae artificialis*, de quo supra (n.° 2, c), sancitur nullitas iuxta vigentem jurisprudentiam his de rationibus inter se omnino diversis:

aa) « hoc coitu mas et foemina non fiunt una caro, cum non utantur organis ex propria et naturali constitutione aptis ad prolis generationem » (S. R. Rota, c. Fidecicchi, 3 aprilis 1951; loc. cit.).

bb) « ... huiusmodi copula, quae a conceptu phisiologico et juridico evidentissime exsulat, luxuriosa est et sodomitica, *quippe quae cum humana generatione nullam connexionem vel relationem secumfert* » (S. R. Rota, c. Quattrocolo, 7 augusti 1929 - loc. cit.).

4) *Requiritur ideo definitio vaginae, quae valeat omnes casus discriminare et obviare incertitudini.*

Enucleando nunc quae in superiori numero exposuimus, dicimus desiderari plenam definitionem vaginae, in qua scateant elementa juridice essentialia huius organi et, per consequens, indubitanter possint rejci uti inadaequatae vel insufficientes illae formae, quae typo non respondent.

Et sane:

a) *major vel levior longitudo vaginae* est quid indifferens in ordine ad copulam: haec enim perfici valet, non obstante vaginae brevitate (Cfr. S. R. R., c. Quattrocolo, 30 octobris 1934 — Vol. XXVI, Dec. 81).

Etenim, «a parte la difficoltà di determinare quale debba essere la lunghezza normale della vagina, potrebbesi facilmente, qualora si pensasse in siffatti casi di configurare una ipotesi di impotenza, ironizzare sul *centimetro* che deciderebbe della validità del matrimonio » (Graziani, Il caso-limite ecc., l. c.).

Si etiam brevissima habeatur vagina, quae tamen functioni suae praecipuae respondet, quaeque ad collum uteri defert, clarum est haberi semper possibilitatem sufficientis consummationis matrimonii, saltem in sensu juris — tradito a responso S. S. Congregationis S. Officii diei 12 februarii 1941, — et procreationis.

b) *Neque natura artificialis vaginae* est elementum ex se discriminans. Si cui mulieri, — dictum sit tantum ratione et non

usu, — utero praeditae et vagina carenti, *ante matrimonium* chirurgi confecerint organum copulatorium, quo semen possit ad uterum transmeare ipsaque praegnans evadere, quinam Judex ecclesiasticus auderet huiusmodi matrimonium irritum declarare?

Et, e converso, si cui mulieri arte chirurgica confectum fuerit organum copulatorium, quod tamen uterum non attingit, quanam de ratione huiusmodi nuptiae invalidae essent?

Forsan quia, in casu, coniuges « non utuntur organis ex propria et *naturali* constitutione aptis » (Cfr. supra, n. 3, e, aa)? Minime! Nec in superiori casu habetur constitutio naturalis organi, et tamen matrimonium sustinetur.

Ideo alibi ponenda est ratio discriminans et praecise in eo quod copula habeat, vel non habeat, « connexionem vel relationem cum humana generatione » (Cfr. supra, n. 3, e, bb).

c) *Neque esse « canalis ab utraque parte apertus »* definit sufficienter vaginam, *nisi adiungatur* ubi idem canalis pertingere debeat, nempe ad uterum. Dantur enim quandoque casus, in quibus vagina communicat cum vesica urinaria (S. S. R., XXIX, Dec. X, pag. 77; XXXIII, Dec. IX, pag. 71), et, forsan, etiam cum visceribus. Sed evidenter, in huiusmodi facti speciebus, etiamsi canalis esset apertus, non constitueret veram vaginam.

Ideo nec plena videtur definitio vaginae tradita a S. R. Rota die 18. 12. 1948, n. 8 (apud « Il Diritto Ecclesiastico, 1949, pag. 184 » : « canalis ad cuius essentiam pertinet habere aperturam in duobus extremis punctis ».

d) *Neque « monstruositas » vaginae* est conceptus primarius, qui iam possideatur a scientia juris. Aliqua vagina tunc tantum poterit dici monstruosa, quando iam in comperto sit essentia verae vaginae. Et supra innuimus maiorem vel minorem longitudinem vaginae non relevare in ordine ad copulam (litt. a).

Immo memorandum est non omnem *abnormitatem anatomicam* vaginae constituere identidem *abnormitatem sub specie juridica.* Jus enim recte dicitur « scientia qualitatum » et non « scientia quantitatum ».

— Si ideo definire volumus vaginam, non debemus attendere ad eius mensuram, ad eius constitutionem naturalem vel artificialem, ad eius formam vel figuram, sed ad eius qualitatem — Vagina respondere debet functioni organicae, quae etiam momentum juridicum habet. Videndum ergo est si vagina, aliquo modo abnormis, talem « aptitudinem » adhuc servet.

Abstrahendo ergo ab elementis, quae vidimus non relevantia et enucleando elementa positiva communia, quae deprehendimus in

singulis casibus relatae jurisprudentiae, vagina a Nobis dicitur « *canalis in vulva apertus, qui ducit ad uterum cum eoque communicat recto tramite, quin relevet utrum ipse uterus pervius vel clausus sit, tabificus vel ipoplasicus vel etiam paene tantum delineatus* ».

5) *Definitio supra proposita solvit etiam vexatam quaestionem vaginae posterius occlusae.*

Iter nostrae indagationis hoc fuit. Dimicantibus inter se fautoribus utriusque sententiae, contendentibus nempe quibusdam pro tribuenda vaginae functione transvectiva seminis, aliis contra statuentibus vaginam esse organum tantum receptivum; cum in pendendis rationibus hinc inde adductis animus haerens maneret; Patres aestimaverunt solutionem quaestionis repetendam esse, veluti ex luce reflexa, a clara formulatione conceptus vaginae.

Arripuerunt ergo Patres viam discriminationis inter vaginam juridice sufficientem et vaginam abnormem vel monstruosam, ac ideo invenerunt (Cfr. supra, n., 4) notam determinantem vaginae constitui ab eius nexu cum utero, ac ipsam distingui ab aliis indebitis vasibus ea tantum de ratione quod, ducendo ad uterum, obiectivam relationem habet cum humana generatione.

Ex huiusmodi formulatione clare derivatur solutio quaestionis vaginae posterius occlusae.

Nam:

a) si defectus est in vagina, seu si obstructus est ipse canalis vaginalis (« varie forme di atresia vaginale sia congenita, sia acquisite, implicandi una perfetta ostruzione del canale vaginale ad un punto mediano — vagina dimidiata — o al punto estremo di comunicazione con l'utero — vagina posterius occlusa — sia per effetto di sedimento ostruttivo, sia perchè le pareti del canale sono fuse o collabite insieme, con fondo a cul di sacco »), *habetur impotentia;*

b) si vero vagina desinit in collum uteri, *non habetur impotentia*, sive collum uteri clausum sit, sive ipse uterus, septi instar, sperma ingressu prohibeat, vel, e naturali loco dimotus (« retroverso »), ad parietem vaginalem ita premat, ut canalis fere occlusus — non tamen hermetice — evadat.

Posterior iste casus, quem « vaginae aequivalenter occlusae » appellant, infra adhuc examinabitur. Pro nostra causa maius momentum habet declaratio relata sub litt. a).

6) *Conclusio recepta de existentia impedimenti in casu verae occlusionis vaginae non contradicit decisioni Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae diei 27 junii anni 1931.*

Sollicitudo plurimorum Judicum, in causis occlusionis vaginae

dijudicandis, fuit metus incidendi in sententiam reprobatam a Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae.

Scribit Graz;ani (l. c., p. 112): « La giurisprudenza rotale posteriore alla Parisien. risente indubbiamente del nuovo indirizzo impresso dalla pronunzia del Supremo Tribunale; e la preoccupazione di uniformarsi a tale autorevolissimo dettato, più che la spontanea adesione ad un intimo convincimento, è specialmente palese... ».

Decisio S. R. Rotae, c. Caiazzo, diei 23 aprilis 1942, in causa Isclana, quae huiusmodi facti speciem definit: « la vagina termina a fondo cieco, a parete uniforme: tra il fondo vaginale e gli organi pelvici si interpone un setto o diaframma che vieta ogni comunicazione », ac iudicat pro validitate matrimonii (Cfr. supra, n. 1, a), allegat, et ipsa, citatam decisionem Signaturae Apostolicae.

Refert enim (n. 12): « sententiae pronunciatae post modo relatam decisionem Supremae Signaturae Apostolicae Tribunalis (27 junii 1931) se referunt ad hanc decisionem et secundum eandem decidunt. Quare Noster Vinculi Defensor, interveniens in causa, lucide ac recte animadvertit... »

Ast, nostro submisso judicio, allegatio decisionis Signaturae in tali facti specie perperam factum est.

Inprimis notandum quod sententia citata Supremi Tribunalis constat tantum parte dispositiva (« Non constare de nullitate matrimonii in casu »), absque rationibus in jure et in facto, et quod numquam in folio officiali fuit publicata.

Sensus huiusmodi decisionis huariri debet ex quibusdam actis illius processus apud Signaturam, quos primus edidit Cornaggia Medici A. in « L'impotenza a generare... », apud « Il Diritto Ecclesiastico » — 1932, pag. 252-255.

Compertum est ideo non agi, in casu, de vera occlusione vaginae. Conclusiones enim peritorum, quibus fulcitur decisio, hae sunt: « La Signora X all'atto del matrimonio... aveva solamente una retroversione uterina. La retroversione uterina non altera la conformazione dell'apparato vaginale » (pag. 254).

Timor ideo offendendi in censuram Signaturae Apostolicae statuendo haberi impedimentum in casu *vaginae vere occlusae*, inanis dici debet, cum nullo fundamento nitatur.

Auctores vero qui, sicut D'Avack (Cause di nullità, ecc., Firenze, 1952, pag. 654), asserunt huiusmodi decisionem vim suam exserere etiam pro casu vaginae vere occlusae, falso nituntur supposito quod « sotto lo aspetto giuridico le due ipotesi — *vagina vere occlusa* e *vagina aequivalenter occlusa* — sono equivalenti e la soluzione adottata per l'una esige la sua automatica estensione

all'altra » (D'Avack, ibid.). Reapse Supremum Tribunal unam tantum hypotesim, alteram nempe, examinavit.

Ob eandem decisionem dicunt insuper auctores ipsum Card. Gasparri suam mutasse sententiam.

Scribit enim Graziani (Il caso limite della impotenza muliebre » — Il Diritto Eccl., 1946, p. 112), quem sequitur D'Avack (o. c., p. 654): « A questo punto (scilicet post decisionem Signaturae) anche la dottrina entrò in crisi. Il Gasparri, che nella penultima edizione del suo Trattato (1904) aveva chiaramente sostenuto l'impotenza della donna « *si vaginam occlusam habet*, licet eius ostium apertum sit »..., nella successiva edizione (1932) mutò avviso tornando a quanto aveva scritto nella prima edizione (1899) del suo celebre trattato ».

Reapse Gasparri nunquam superiorem sententiam revocavit. In ultima editione, pro magis specifica determinatione, haec scripsit: « si foemina uteri ostium clausum vel obstructum habet... non est impotentia ». Nos quoque huic principio subscripsimus (Cfr. supra, n. 5, b).

Sed ipse Gasparri, in sequenti pagina (326) mentem suam clare aperit: « Coeundi facultas integra manet, licet clauso utero, *dummodo vagina libera sit* », videlicet « non clausa ». Moderna ideo recensio tractatus eximii jurisperiti non contradicit praecedenti, sed ambae affirmationes possunt — immo debent — sibi invicem solidari. Et hic praecise sistit fundamentum theoseos, quam molimur.

7) *Quinam defectus anatomici vaginae secumferant nullitatem matrimonii.*

Ut pronum est, exsulat omnino a fine nostrae indagationis considerare impedimenta obvenientia ex defectu functionis: occlusionem proinde anatomicam tantum inspicimus.

Nunc anatomici sunt audiendi. In suo amplissimo tractatu L. Testut (Antomia Umana, Vol. III, p. 369) scribit: « Le anomalie della vagina possono essere comprese nei quattro seguenti gruppi:

1) *mancanza della vagina:* può essere completa e incompleta. Nel primo caso non esiste alcun canale fra la vulva e l'utero, la vagina manca affatto, oppure è rappresentata da un semplice cordone fibroso. Nel secondo caso l'abbozzo della vagina è rappresentato da un fondo cieco, posto sia inferiormente all'utero, sia in corrispondenza della vulva.

2) *vagina sepimentata.* I segmenti che dividono la vagina possono essere longitudinali o trasversali. I setti longitudinali possono presentarsi completi od incompleti o ridotti semplicemente a bri-

glie. Quando il setto longitudinale è completo, si ha quasi sempre anche una duplicità dell'utero. — I setti trasversali occupano per lo più la parte media della vagina. Possono essere unici, ed è il caso più frequente, o molteplici, due, tre o quattro. Anch'essi ora sono completi, ora incompleti, ora ridotti a semplici briglie.

3) *restringimento della vagina:* è il prodotto di un setto trasversale incompleto...

4) *vagina comunicante con gli organi vicini.* La vagina può aprirsi nell'uretra, nella vesciva, nel retto ».

Nunc, descriptiones anatomicas sub specie juris considerantes, dicimus:

a) *defectus, etiam partialis tantum, vaginae*, quando nempe canalis a vulva ad uterum, partim tantum est suffossus, partim vero continuat per quandam spissitatem fribratam, constituit impedimentum;

b) *septa*, quae inveniuntur in *longitudinem* vaginae, etiam si completa sint, copulam non impediunt: etiam duplicitas vaginae non officit consummationi matrimonii, sed nec ipsi partui. *Septa vero transversa*, quando sunt completa, constituunt reapse *vaginam vere occlusam*, de qua hucusque egimus: canalis enim tunc non est apertus, nec respicit uterum, sed constituit veluti culleum, magis vel minus amplum, absque hiatu.

c) *arctitudo vaginae*, quando ipsa remanet pervius canalis, impotentiam non gignit ordinarie, neque sterilitatem, quia ex phoenomeno, quod vocant, capillaritatis, potest saltem unum ex nemaspermatibus, adhuc vivens, ad uterum ascendere. Relevat tantum casus foraminis exterioris adeo angusti, ut possibilis non sit consummatio matrimonii, nec in sua minima formulatione juxta responsum S. S. Congr. S. Officii diei 12 februarii 1941.

d) *communicatio vero vaginae cum aliis organis*, ab utero diversis involvit impedimentum impotentiae.

Apparet ideo quod, statuto ut supra (n. 4 - in fine) conceptu vaginae, facilis omnino et perspicua est applicatio principii, ac fere veluti appositio typi, ad totam seriem efformationum pathologicarum, quam anatomici nobis exhibent, quin necesse sit recurrere ad elementa incerta et relativa, v. gr. monstruositas.

8) *Alii vaginae defectus, ad quos erronee auctores pertingere volunt impedimentum.*

a) Scribit D'Avack (op. cit., p. 652): « A queste ipotesi di impenetrabilità assoluta della vagina va anche equiparata quella

in cui la vagina per la sua eccessiva brevità o stenosi sia tale da impedire non ex toto, ma *quasi ex toto* la penetrazione del membro virile ».

Notari potest quod, dum S. R. Rota jam ab anno 1930 (Dec. X, n. 8) haud requirebat plenam membrorum applicationem, sed sufficientem habebat penetrationem usque ad coronam glandis, responsum, pluries citatum, S. S. Congregationis S. Officii die 12 febr. 1941 satis habet penetrationem nec totius glandis.

Ideo saltem aequivoca videtur assertio auctoris.

b) Idem scriptor (op. c., p. 666) ita etiam se exprimit: « Meno poi si arriva a comprendere perchè, se l'*occlusione è completa*, la vagina non sia più anatomicamente una vera vagina: mentre continui viceversa ad essere tale, *se questa è semplicente parziale* o se per stenosi o tumore o malformazione consente, sia pure con difficoltà, il passaggio del secreto testicolare ».

Nobis vero videtur distinctio omnino perspicua et facilis intellectu. Nam, in priori casu, vagina functioni sibi a natura inditae respondere non valet; dum in altero eius condicio non officit transitui seminis, sed nec ipsi generationi, et ideo impedimentum nullo modo sustinetur.

c) Scribit Sac. Angelus Vincenti (« Impotenza e sterilità » in rapporto alla validità del matrimonio - Firenze 1953, pag. 83): « Anche la *sola* brevità della vagina può (si noti bene) rendere la donna impotente... ».

Jam supra (Cfr. n. 4 - a) refutavimus impedimentum repeti posse ex brevitate vaginae, quia etiam brevis vagina permittit consummationem matrimonii nec officit ipsi procreationi.

d) Nec licet, Nostro submisso judicio, subscribere sententiae clarissimi Sebastianelli in dec. S. R. Rotae 14 Julii 1917 (Vol. IX, Dec. XVI, n. 11): « Minus apte dicitur, ad copulam perfectam habendam, sufficere ut seminetur, in vagina, quin necesse sit quaerere qua in vaginae parte semen deponatur. Hoc enim verum est de vagina normaliter aperta et evoluta, minime autem de vagina cuius parietes, sive ob infantilismum, sive ob aliud quodcumque impedimentum ita pressae ac constrictae sunt, ut semen, in parte vaginae depositum, ad collum uteri permeare nequeat, *nisi per accidens et fortuito* ».

Ratio Nostrae exceptionis contra huismodi principium iam tradita est, quando egimus de arctitudine vaginae (n. 7, c.). Nam, si vagina pervia est, non potest excludi quod nemaspermata inter adhaerescentes membranas se insinuant ac ad uterum perveniant.

9) *Utrum occlusio vaginae sit vitium perpetuum an emendabile.*

Ast hic occurrit difficultas, eaque, quamvis forsan numquam ex professo posita, non effugienda.

Lex tradit quidem impotentiam, sive viri sive mulieris, dirimere matrimonium, dummodo tamen sit antecedens et *perpetua*.

Quaerendum est ergo: occlusionibus vaginae, quas supra diximus constituere impotentiam, mederi potest?

Pronum est, nec tractu temporis, nec medicinis, vagina obstructa aperiri posse. Tantum therapia chirurgica adhiberi valet in casu.

In sententia Nostri Fori diei 22 Junii 1952, coram me Ponente (Apud: « Il Diritto Ecclesiastico », 1953, pag. 367-377 - « Ephemerides Juris Canonici », 1953, pag 422), quoad obstructiones viarum seminalium in viro, recensitae sunt condiciones, in quibus impotentia est emendabilis per chirurgicam sectionem, nempe quando ipsa corporis incisio: a) non constituit medium extraordinarium; b) non involvit periculum gravis morbi: c) obtinet successum moraliter certum.

Consideranda sunt nunc, sub specie emendabilitatis, illa vitia, quae supra retulimus (Cfr. n. 7):

a) *defectus, etiam partialis, vaginae* est sane inemendabilis. Etiam si aliquando chirurgi vaginam « artificialem », quam vocant, efformare valent, ut mulier coitum experiri quodammodo queat, huiusmodi sectio, ut scripsit aliquis peritus, « è una operazione rara, difficile ed anche pericolosa, giacchè si tratta di adattare una ansa intestinale a tale finalità ».

Insuper, si talis suffossio non aperit viam usque ad uterum, inutilis prorsus dicenda est, quia remanet impedimentum. Sed, etiam si, aperiendo novam vaginam per chirurgicam incisionem, possibilis foret vera consummatio matrimonii et procreatio prolis — hoc per simplicem hypotesim sit dictum, — non inde vir jus haberet ad exigendam talem sectionem uxoris suae, bene vero ad petendam declarationem nullitatis, cum agatur de medio omnino extraordinario.

b) idem dicatur quoad *communicationem vaginae cum aliis organis*, cum ad medendum huiusmodi deformitati nova vagina effondienda sit.

c) *septa vero transversa*, completa, quae vaginam occludant, etiam si multiplicia sint, removeri possunt per communem facilemque sectionem chirurgicam, et ideo impotentia, ex tali condicione dimanens, nequit dici perpetua; proinde corruit impedimentum.

Si quae uxor, organis genitalibus internis omnino sanis prae-

dita, huiusmodi occlusione laboret, facile talem sectionem tolerabit, quae ei facilitatem coitus et possibilitatem prolis praebebit.

Si vero uxor, praeter occlusionem vaginae versus uterum, habeat uterum ipsum hypoplasicum vel atrophicum, unde redintegrationem facultatis generandi sperare sibi non liceat, tunc tenetur adhuc pati sectionem chirurgicam ad hunc solum finem, ut canonice potens habeatur?

Videtur *negative* respondendum. In sententia huius Tribunalis diei 22 Junii 1952, supra citata, iam scripsimus: « Ut obligatio oriri possit, necesse est ut bona, quibus, arripiendo operationem, valedicit, compensentur cum certa spe aliorum bonorum aequalis saltem valoris, quamvis alterius generis » (Apud: « Il Diritto Ecclesiastico, 1953, p. 372, n. 7).

Potentia ad matrimonium *sub respectu tantum canonico* considerata, per sectionem obtinenda, et seiuncta a capacitate vel copulae phisiologicae explendae vel prolis procreandae — qui fines tantum possunt allicere coniugatos — nequit constituere illum « *successum* », nempe practicum, et moraliter certum, requisitum pro obligatione, nec haberi potest uti *bonum aequalis valoris* commodis quae coniunx amittit subeundo discrimina doloris, pecuniae, pudoris, officii publici vel familiaris, sicuti importat sectio chirurgica huiusmodi.

Ideo, in facti specie supra relata, impotentia iudicari deberet perpetua, ac ideo pro nullitate esset decidendum.

10) *Iudicium nullitatis in casu vaginae vere in se occlusae non contradicit responso S. Officii diei 12 februarii 1941.*

Posset quis, leviter tantum rem considerans, ac sistens ad speciem externam, contra nostram sententiam, nullitatis scilicet matrimonii in casu vaginae vere in se occlusae, hoc adducere argumentum: curnam solliciti estis de pervietate vaginae, vel in eius imo fundo, quando S. S. Congregatio S. Officii sufficientem dicit penetrationem nec totius glandis? Si patet ea minima vaginae pars, quae penetrari debet, vestra quid interest de coetero?

Commode datur responsio. Norma edita a S. Congregatione non continet *regulam seu mensuram anatomicam* organorum quae inserviunt copulae: innuit vero *minimum gradum functionis* eorundem organorum, requisitum ad habendam copulam canonice sufficientem.

Ideo, sicuti membrum virile non potest constare tantum ex aliqua parte glandis (quamvis penetratio huius partis sufficiat ad consummationem), ita pro vagina non sufficit quodcumque vas, sed requiritur ille canalis, cuius natura supra explicata est.

11) *Casus vero vaginae aequivalenter occlusae et colli uteri item occlusi exsulant a conceptu canonico impotentiae.*

« ... Non risponde a verità affermare che lo stato clericale, in quanto tale, così come viene appreso dal diritto divino, esiga nei suoi membri, per sua natura, o almeno per qualche postulato della stessa, la pratica dei consigli evangelici: né che debba o possa di conseguenza chiamarsi stato di perfezione evangelica (« acquirendae »).

« Ne segue che il chierico non è obbligato per diritto divino alla pratica dei consigli evangelici di povertà, castità e obbedienza: e soprattutto non lo è nel modo stesso nè con forza simile a quella che impongono i voti emessi pubblicamente all'atto di abbracciare lo stato religioso.

« Ciò non impedisce che tuttavia il chierico, privatamente e spontaneamente, si imponga questi vincoli. E il fatto che i sacerdoti di rito latino abbiano l'obbligo di osservare il santo celibato non distrugge o attenua la differenza tra stato clericale e stato religioso. Così che il chierico regolare professa lo stato e la condizione di perfezione evangelica, non come chierico, ma come religioso » [27].

Chiarito questo punto dottrinale, il Santo Padre offre, continuando, ai sacerdoti, che lo desiderino, la possibilità, fino alla promulgazione della Costituzione Apostolica « *Provida Mater Ecclesia* » non conosciuta, di unire e fortificare il proprio ministero secolare e diocesano, con la vita di perfezione completa riconoscita dalla Chiesa, nella nuova forma giuridica degli Instituti Secolari. E tale unione si compirà, afferma il Romano Pontefice, senza mutare né la legge divina in virtù dlela quale il sacerdote deve obbedire al suo Vescovo, né alcuna delle prescrizione canoniche che regolano la vita giuridica del sacerdote diocesano («... *hoc quoque nequaquam Nostrae nuper dllatae contradicit sententiae* ») [28].

---

religioso o almeno farsi membro di un Istituto Secolare; e se ad un giovane che è in dubbio tra il sacerdozlc secolare o entrare in religibne, gli si risponde che questo è questione di generosità: quando si afferma che chi si decide per il clero secolare dimostra di non essere sufficientemente genaroso per darsi interamente al servizio di Dio; se qualcuno arriva ad affermare anche che la Chiesa «tollera» il clero secolarc come un male minore, ma che l'ideale sarebbe cbe tutti i sacerdoti fossero religiosi».

[27] Cfr. « Allocuzione » pagg. 11 e 13.

[28] Cfr. « Allocuzione » pagg. 12.

Le nuove realtà giuridiche, in materia di vita di perfezione, consacrate dal Santo Padre Pio XII nel diritto peculiare degli Istituti Secolari, hanno reso possibile questa fusione: particolarmente mi riferisco al carattere *sociale o privato riconosciuto* (non pubblico), che il diritto e la giurisprudenza attribuiscono ai voti emessi in questi Istituti [29]; e come conseguenza di tale carattere, la non mutazione della categoria canonica dlela persona, che resta la stessa (chierici o laici, non religiosi), nonostante la consacrazione completa; la assenza di vita comune canonica imposto dal diritto; la possibilità di regolare la poverta evangelica nelle proprie Costituzioni, seguendo le norme tracciate dalla Costituzione Apostolica « Provida Mater Ecclesia », ma senza essere soggetti ad alcuna prescrizione del Codice in materia di povertà semplice, etc. [30].

I sacerdoti diocesani, che entrano a far parte di un Istituto Secolare, non si sottraggono, quindi, in alcun modo né all'*autorità* né all'*influenza santificante* del Vescovo, del quale sono e rimangono sempre sacerdoti e figli. La loro nuova vocazione li porterà necessariamente ad una obbedienza più delicata e più arrendevole agli ordini e ai desideri di colui che incarna ai loro occhi la Chiesa e la sua divina autorità.

Ed anche in questo delicato punto di diritto — e chiedo che l'insistenza venga scusata — il Dicastero romano competente ha approfittato saggiamente dell'occasione che qualcuna di queste Associazioni, che aspirano a essere elevate al rango di Istituto Secolare, le ha offerto per dissipare fin la più piccola ombra che potesse in qualche modo oscurare la chiarezza e la nitidezza della dottrina legiferata.

Trascrivo il pensiero della Sacra Congregazione, presa da una risposta ad una Associazione, di questa natura, intorno al problema su cui ci intratteniamo:

« Regimen internum huiusmodi Institutorum saecularium apte componi possit cum auctoritate, quam Ordinarius in sacerdotibus sui cleri ad normam juris possidet.

« Canonica oboedientia Ordinario proprio vi ordinationis praestita ex adscriptione huiusmodi Instituto nullo modo detrimentum patitur.

« Immo nihil prohibet quominus oboedientia canonica novo oboedientiae vinculo, quo sodales Instituto ligantur, confirmari valeat.

---

[29] Cfr. Salvador Canals: « De Intitutis Saecularibus: doctrina et praxis », in Monitor Ecclesiasticus, 1949, pag. 156.

[30] Cfr. Larraona: op. cit., pagg. 91-93.

« Haec Ordinarii auctoritas intacta etiam in Institutis saecularibus iuris pontificii certo remanebit. Si ex approbandis Constitutionibus aliqua videatur limitatio apponenda, talis indubie erit atque ita ordinabitur ut conveniens Ordinarii interventus admittatur seu praevia ipsius veniae obtineatur.

« In particulari quoad limitationem facultatis Ordinarii loci disponendi pro lubitu sacerdotum sui cleri, quae ex acto nominationis ad aliquod ex muneribus regiminis interni fere necessario obvenire possent, facilis inveniretur compositionis ratio si munera ipsa praeviae Ordinarii confirmationi supponerentur ».

Inquadrato nelle file di un Istituto secolare, il sacerdote diocesano cura specialmente e principalmente al suo sacerdozio specifico..., diocesano, e dà il primo posto agli obblighi, che da questo suo sacerdozio derivano; ma il sacerdote diocesano comprende perfettamente che il fatto di essere consacrato alle anime in una diocesi, lungi dal far più deboli i suoi obblighi religiosi, è un motivo di più per aver cura minuziosa ed amare i suoi voti, perchè vede in essi i mezzi poderosi che gli assicurano l'aprirsi, fino alla pienezza, della grazia sacerdotale [31].

Su questo piano giuridico e ascetico devono essere inquadrate, per comprenderle a fondo, in tutta la loro estensione e profondità, le parole di Sua Santità Pio XII — contenute nella Allocuzione — e che qui sotto riportiamo, sulle quali scriveremo qualche linea di commento, per rispondere in qualche modo al secondo dei punti enunciati più avanti.

Il Santo Padre comincia affermando che non si oppone in alcun modo a quanto ha detto precedentemente sullo stato clericale e sullo stato di perfezione, « ... quel che Noi proclamammo nella Costituzione Apostolica « Provida Mater Ecclesia » che cioè il modo di vita che si osserva negli Istituti Secolari doveva essere considerato ufficialmente (« publico agnitum iudicio ») come stato di perfezione evangelica, in quanto che i suoi membri si obbligano a osservare, in un grado determinato, i consigli evangelici ».

« Niente impedisce, difatti, che i chierici, eleggendo questo genere di vita, si aggruppino in Istituti Secolari per aspirare allo stato di perfezione evangelica; ma in questo caso i chierici si trovano in stato di perfezione (« acquirenda »), non in quanto chierici, ma in quanto membri di un Istituto Secolare.

Difatti, l'Istituto Secolare, come ragione della sua propria esistenza, abbraccia certamente la pratica dei consigli evangelici pro-

---

[31] Cfr. Georges Lemaitre: Sacerdoce, perlection et voeux, Paris, 1932, pag. 63 e segg.

pria dello stato religioso, dove si esplicano in tutta la loro pienezza; tuttavia li professa in tal modo da non costituire uno stato regolare, bensì continua in quella forma esterna di vita, che non includerebbe necessariamente e per sè la perfezione suddetta » [32].

In queste dense e brevi linee sono magistralmente riassunti tutti i lineamenti costituzionali degli Istituti Secolari: la loro natura giuridica (stato completo di perfezione); la loro condizione secolare, che imprime loro un carattere proprio e specialissimo; la loro inclusione negli stati di perfezione riconosciuti dalla Chiesa [33]; la sua differenza con lo stato religioso (stato giuridico completo di prefezione, ma non canonico); ed è, sopratutto, sottolineato il fatto canonico fondamentale (questa vita di consacrazione completa non cambia la categoria canonica della persona: coloro che si consacrano in questo modo a Dio, rimangono chierici o laici, a seconda il carattere che avevano prima), che è ciò che ha reso possibile che i sacerdoti secolari, continuando ad esser tali *de facto* e *de jure*, possano dirsi in stato di perfezione completo, non come privati, ma inquadrati giuridicamente negli stati di perfezione riconosciuti dalla Chiesa, e inseriti in questi Istituti, senza toccare in nulla l'ordinamento canonico dello stato sacerdotale come esiste nel Codice.

E' importantissimo ora ricordare che in queste parole, che finiamo di trascrivere (« niente impedisce, di fatti, che i chierici, elegendo questo genere di vita, si raggruppino in Istituti Secolari per aspirare allo stato di perfezione evangelica ») [34], si nasconde quella realtà dura, e in pari modo feconda in frutti di santità e di apostolato, di una vera vocazione allo stato di perfezione: vocazione che deve essere esaminata e assistita da tutti i criteri e da tutte le norme che l'abbondante dottrina teologica e ascetica offre su questa materia.

Lasciamo in questo punto alla intelligenza e alla discrezione del lettore il compito di supplire a quanto potrebbe dirsi, spiegando e sviluppando le conseguenze che racchiude la questione proposta.

E, per evitare il pericolo di costruire una bella teoria, ma separata dalla vita reale e concreta, mi limiterò ad esporre come hanno compreso questo problema alcune Associazioni composte da sacerdoti diocesani, che hanno rivolto le loro domande alla Sacra Congregazione competente, sollecitando il *nihil obstat* o l'approbazione come Istituti Secolari. Giudico molto opportuno — e penso che sarà d'utilità per le anime — far conoscere l'impostazione alla

---

[32] Cfr. « Allocuzione », pag. 13.
[33] Cfr. Gutierrez: « De Institutis Saecularibus », op. cit. pag. 307 e segg.
[34] Cfr. « Allocuzione », pag. 13.

questione che fanno alcuna di queste Associazioni: tutte — devo aggiungere — portano impresso il sigillo della esperienza e parlano di cose vissute. Un Istituto di questa natura [35], nato e sviluppatosi ampiamente in Francia, pone ad uno dei primi numeri delle sue Costituzioni le parole seguenti che copio, e che ritengo ottimo commento di quanto ho affermato sopra:

« *Una vera vocazione* esige un giudizio retto e già maturo, un buon senso sperimentato, un carattere buono e socievole, una tempra di anima forte a sufficienza per accettare le rinunce della vita religiosa e praticarle in mezzo al mondo, un desiderio sincero di perfezione, vero disprezzo dei beni e degli onori della terra, una umiltà che assicuri docilità e prontezza nella sottomissione ai Superiori, una pratica costante dei doveri di stato ed una volontà disposta a distaccarsi da tutto e tutto sopportare per acquistare la perfezione e portare di altri su questo cammino ».

Un'altra Associazione in via di approvazione, composta egualmente di sacerdoti diocesani, dà i seguenti criteri per regolare prudentemente l'ammissione dei candidati:

« Non si accetteranno nella Società coloro che sollecitino l'ammissione con aspirazioni umane o che non abbiano un carattere costante; e neanche si ammetteranno coloro che manifestino un esagerato giudizio proprio, che siano inclini al rilassamento, allo spirito di indipendenza e di critica e, finalmente, coloro che appariscano soggetti a scrupoli persistenti o a devozioni indiscrete, che possano comportare illusioni o errori ».

Con grande precisione — e riassumendo in poche parole molta dottrina — ha messo in evidenza, nello statuto proprio dei sacerdoti diocesani, il Fondatore della Società Sacerdotale della Santa Croce e Opus Dei che è necessario che questi sacerdoti assommino, per poter appartenere all'Istituto, due qualità particolari: « *Vocazione divina e desiderio di perfezione* ».

Mi sembra anche conveniente far chiari alcuni pericoli che possano nascere da una moltiplicazione poco prudente di questi Istituti, così come sono stati segnalati da alcuni Rev.mi Ordinari. Lascio la penna ad un Ecc.mo Vescovo che regge una diocesi francese, il quale, dopo aver lodata una Associazione di questa natura e aver raccomandate insistentemente le sue preci alla Sacra Congregazione, perchè venga approvata come Istituto Secolare, indica un possibile pericolo e il modo efficace e pratico con il quale questo pericolo è stato evitato nella Associazione che raccomanda. Ecco le sue parole:

---

[35] « Società dei Sacerdoti del Sacro Cuore »: cfr. Annuario Pontificio, 1952 pag. 8000.

« Attentifs à ne pas créer un Etat dans l'Etat, *ils se tiennent dans le domain surnaturel. Rien ne les distingue, ni dans leur coutume, ni dans leur rapport avec leur confrères du diocèse, ni à l'egard de l'autorité diocesaine.* Pas plus qu'ils se vantent d'appartenir à la Societé, pas plus s'en cachent ».

E non manca chi con autorità, e con lunga esperienza della vita sacerdotale e religiosa, metta in rilievo i pericoli che comporterebbe una atomizzazione o un eccessivo localismo di questi istituti. Occorrono — insiste un altro Ecc.mo Prelato — « societá interdiocesane, per ottenere una spiritualità generale, un vento che soffi dalle cime, più salutare che uno spirito locale, diverso a seconda delle regioni ».

E non si deve dimenticare che anche se è certo che il Motu Proprio « *Primo feliciter* » [36] ammette e favorisce le orme federative degli istituti tipicamente locali e diocesani: « Neque sunt illae formae reiiciendae, aut despiciendae, qua confederationem fundentur et characterem localem in singulis nationibus, regionibus, dioecesibus, retinere ac moderare fovere velint »; è certo egualmente, che queste forme giuridiche si permetteranno e si favoriranno unicamente ed esclusivamente in un caso determinato: « *dummodo rectus sit et catholicitatis Ecclesiae sensu informatus* » [37]. Ai canonisti non si può certamente nascondere la forza e il significato di questa condizione che il citato Motu Proprio esige, perchè sanno il valore che si concede nell'ambito del nostro diritto a la particella « dummodo » [38].

Solo ci resta da aggiungere che la Sacra Congregazione dei Religiosi applicherà, logicamente, per i permessi di erezione e per l'approvazione di questi Istituti, tutti quei prudenti criteri sul numero dei membri, identità delle Istituzioni e fini specifici, etc., che, raccolti e codificati nelle cosiddette *Norme*, vigono per l'approvazione delle Religioni, Società e Istituti.

Il diritto attualmente vigente, dopo le innovazioni apportate dalla legislazione propria degli Istituti Secolari, può dirsi che ammette tre tipi diversi di *diocesanismo* completo con stato di perfezione.

Il primo tipo si verifica nelle Società di vita comune senza voti, la cui costituzione e il cui diritto si trovano nel codice di Diritto Canonico. (tit. XVII) [39].

---

[36] Cfr. A. A. S., vol. XL (1948): pag. 192; cfr. Alvaro del Portillo: Institutos seculares. Roma, (in stampa).

[37] Cfr. Motu proprio « Primo felivjter », art. IV.

[38] Cfr. ex analogia, can. 39.

[39] Il Santo Padre nel discorso che commentiamo (pag. 13) allude soltanto agli Istituti Secolari, come il tipo ideale, perchè i membri delle società di vita comune

Il secondo tipo è disegnato giuridicamente dalla Costituzione Apostolica « *Provida Mater Ecclesia* » e dal Motu Proprio « *Primo feliciter* »: Istituto Secolare diocesano con facoltà di federazione. Per giungere a questa forma federativa è necessario che si verifichino le condizioni che abbiamo sopra enunciato.

Il terzo tipo è formato da una categoria speciale di membri — con regole e norme proprie — negli Istituti Secolari di tipo gerarchico. Rinsaldano la loro dipendenza ed i loro vincoli canonici con l'Ordinario e ricevono dall'Istituto, con una formazione adeguata, aiuto intellettuale e spirituale, per compire meglio la loro missione sacerdotale nella diocesi [40].

c) Come logica conseguenza di quanto abbiamo detto in queste pagine, emerge un altro fatto giuridico fondamentale, che vorrei mettere in vista prima di chiudere questo commento. Un'altra delle grandi innovazioni, che la Costituzione Apostolica « *Provida Mater Ecclesia* » ha portato con sè, viene dal fatto che il Santo Padre felicemente regnante attraverso questo documento pontificio e il Motu Proprio « *Primo feliciter* », ha esteso la competenza della Sacra Congregazione dei Religiosi ai laici ed ai sacerdoti diocesani, che professano la perfezione in condizioni tali — quelle richieste dal diritto peculiare degli Istituti Secolari — che fa delle dette persone, *quoad substantiam*, anime interamente consacrate.

Questo panorama giuridico nuovo, che ora contempliamo, ha presentato alla mente di molti canonisti e di non pochi uomini di governo della Curia, la necessità o la convenienza di procurare che il nome che porta questo Dicastero Romano diventi tale da poter riflettere pienamente questa nuova e viva realtà giuridica. Ed è

---

senza voti vivono, da una parte. « ad instar religiosorum » e dall'altra perchè, indubbiamente, la vita comune concepita con la rigidità quale il diritto la prevede per queste società può, in qualche momento, essere di ostacolo al mistero sacerdotale specifico e tipico dei sacerdoti secolari.

[40] Potrebbe anche parlarsi di un quarto tipo: Istituto secolare gerarchico composto da sacerdoti diocesani. Questa figura presenta in realtà alcuni inconvenienti di tipo giuridico e di tipo pratico. Noi non l'abbiamo inclusa nella stabilita classificazione, perchè il criterio di classificazione seguito supponeva il diocesanismo completo, e in questo quarto tipo il diocesanismo può vedersi più o meno compromesso dal gerarchismo (interno). Questi concetti sono in certo senso antitetici: quel che si guadagna in questi casi in gerarchismo (interno) si perde in diocesanismo.

Vediamo come soluzione ideale la terza di quelle indicate nel testo: categoria speciale dei membri in un Istituto Secolare di tipo gerarchico. Infatti, in quanto categoria speciale, cioè parte di un Istituto secolare di tipo gerarchico, questi membri possono partecipare di tutti i vantaggi, che, per quanto si riferisce ai mezzi di formazione e a possibilità di apostolato, derivano da questa modalità giuridica: e in quanto sezione, con regole e norme proprie, può organizzarsi adeguandosi perfettamente a tutte le esigenze che il diocesanismo impone.

forse un primo passo in questo senso, il nome con il quale è stato battezzato il Congresso celebrato in Roma e che ha avuto come coronamento il discorso del Romano Pontefice che abbiamo commentato in qualche suo punto: tutti i nostri lettori sanno, certamente, che a quelle intense riunioni di studio si è dato il nome di Congresso degli stati di perfezione.

* * *

Non voglio chiudere questo lavoro senza aggiungere *qualche notizia giuridica* sul primo Istituto Secolare, *La Società Sacerdotale della Santa Croce e Opus Dei* [41], che è stato anche il primo che ha presentato alla approvazione definitiva della Santa Sede [42] uno Statuto proprio e completo — che fa parte delle Costituzioni del medesimo Istituto — che regola la condizione giuridica di sacerdoti diocesani con vita di perfezione ed inquadra i medesimi nella loro diocesi e nell'Istituto, risolvendo — teoricamente e praticamente — prima di ogni altro Istituto, le questioni di tecnica giuridica che il detto problema presentava.

L'Opus Dei si propone come fine specifico [43] la ricerca della perfezione in mezzo al mondo, promuovendola con un apostolato specifico, regolato e diretto dalle Costituzioni dell'Istituto approvate definitivamente dalla Santa Sede.

Questo promuovere la pratica della perfezione completa, ciascuno nel suo ambiente, al suo posto e con i suoi, ha trovato anche — per disposizione della Santa Sede [44] una logica e feconda manifestazione nell'ambiente del clero diocesano.

La Società Sacerdotale della Santa Croce ammette nel suo seno sacerdoti diocesani, come membri che professano nel medesimo Istituto la perfezione completa o incompleta a norma delle Costituzioni [45]. Questi sacerdoti cercano la propria santificazione mediante la pratica dei consigli evangelici e promuovono con tutte le loro forze nel clero diocesano la vita di perfezione ed il senso di una piena donazione e soggezione alla Gerarchia Ordinaria: e tutto ciò senza in nulla intaccare la loro condizione diocesana e la loro dipendenza dall'Ordinario.

---

[41] Cfr. Decretum « Primum inter » (16 Junii 1950).

[42] Cfr. Decretum « Primum inter », pag. 14.

[43] Cfr. Annuario Pontificio. 1952, pag. 800.

[44] Cfr. Decretum « Primum inter », pag. 15.

[45] Cfr. Alvaro del Portillo: « Consitutio, formae diveraae, institutio, regimen, apostolatus Institutorum saecularium », in Acta et documenta Congressus generalis de statibus perfectionis, Romae, 1952, vol. II, Editiones Paulinae, pag. 297.

Questa vocazione specifica nelle file del clero diocesano non solo non divide, ma, come avremo occasione di notare, unisce il clero all'Ordinario e alla diocesi e rinforza la dipendenza canonica del sacerdote dal suo Vescovo.

I sacerdoti diocesani che si incorporano alla Società Sacerdotale della Santa Croce corrispondono, nel quadro generale del diritto, al terzo tipo di *diocesanismo* completo con stato di perfezione enunciato più avanti, cioè formano una categoria speciale di membri — con regole e norme proprie — di un Istituto Secolare di tipo gerarchico. Categoria che, logicamente, partecipa di tutte le approvazioni dell'Istituto e della loro rispettiva antichità, che viene informata dal medesimo spirito dell'Opus Dei, e che fa godere a quanti membri la compongono tutti i beni spirituali e privilegi dell'Istituto.

Come *categoria speciale* ha alcune caratteristiche proprie che derivano dalla peculiare condizione giuridica dei membri che la formano — sacerdoti diocesani — sulle quali, qui appresso, spenderemo qualche parola.

Tutta la regolamentazione giuridica di questa categoria speciale formata da sacerdoti diocesani, è informata dal « *nihil sine Episcopo* » e per quel modo di sentire, così proprio all'*Opus Dei*, che consiste nel far sì che i membri vivano la loro piena consacrazione a Dio, mescolati con quelli del loro ambiente e della loro professione e con il desiderio efficace di non distinguersene, né di separarsene. Caratteristica quest'ultima che necessariamente comporta nel caso nostro, una maggiore unione del clero. I sacerdoti diocesani della Società Sacerdotale della Santa Croce, ha scritto il Fondatore dell'Opus Dei, « *a confratribus sacerdotibus nullo modo distingui velint, sed totis viribus uniri nitantur* ». Con tutti gli altri sacerdoti diocesani — aggiunge Mons. Escrivà dle Balaguer, nello Statuto proprio di questi membri — [46] devono vivere una tale carità fraterna che li porti ad evitare fin la più piccola ombra di divisione e « *inter omnes omnino sacerdotes maximam unionem promoveant* ».

El « *nihil sine Episcopo* » non è soltanto una norma spirituale, che regola la formazione ascetica dei sacerdoti diocesani che si incorporano all'Istituto: *è criterio sicuro* per lo spirito che deve animare i membri; *norma di governo* per i superiori dell'Istituto; *direttiva* per l'apostolato diocesano di questi sacerdoti e *principio generale* dello Statuto giuridico di questa categoria di membri.

Il « *nihil sine Episcopo* » ci si presenta, di fatti, in tutti i momenti della vita giuridica e ascetica di questi sacerdoti:

[46] Cfr. art. 6. 4º.

nella vocazione, perchè si richiede per l'incorporazione del candidato la licenza del proprio Ordinario; e perchè soltanto possono essere ammessi nell'Istituto i sacerdoti, o almeno gli ordinati *in sacris*: i seminaristi, unicamente, come aspiranti;

nella consacrazione, perchè nelle mani del Vescovo fanno voto di obbedienza al proprio Ordinario Diocesano, secondo la formula approvata dalla S. Sede;

nella vita sacerdotale, perchè confermano e rinforzano con il vincolo del voto, l'obbedienza canonica, nata dall'ordinazione sacerdotale;

nella vita di apostolato, perchè si obbligano a non esercitare alcun apostolato collettivo dell'Opus Dei, senza licenza e volontà del Vescovo, quando derivasse da questo un pregiudizio per il loro ministero diocesano.

I sacerdoti diocesani, che nell'Istituto vivono la perfezione completa, depongono altresì, con il voto di obbedienza, nelle mani dell'Ordinario tutte le cariche, onori e dignità, che abbiano o che possano avere; e si obbligano a rinunciare o ad accettare dette cariche o onori, se così dispone l'Ordinario [47].

Con lo stesso criterio si risolve il problema della discrezione sull'appartenenza all'Istituto e quello della convenienza della vita comune di questi chierici;

la Società Sacerdotale della Santa Croce, come l'Opus Dei, non ha alcun segreto o mistero da difendere. Ma l'umiltà collettiva, che è così intima allo Spirito dell'Istituto [48], fa sì che, ordinariamente non si impieghino mezzi di pubblicità per molti dei suoi apostolati, e, invece, si viva in una prudente discrezione. Avere o non avere questa discrezione, e, nel caso che si debba avere, fino a che punto si debba, è cosa che, per norma generale dell'Istituto, compete esclusivamente in ogni diocesi all'Ordinario del luogo. Si praticherà la vita comune solamente quando l'Ordinario lo voglia e nella maniera in cui voglia, e mai esclusivamente per i membri della Società Sacerdotale della Santa Croce.

Ecco con quanta delicatezza e con quanta sapienza legislativa l'Istituto ha voluto evitare persino l'ombra di una gerarchia contro o al margine di quella dell'Ordinario. Sempre con la stessa prudenza e con il medesimo sicuro criterio le Costituzioni dell'Opus Dei dispongono che si eviterà nella Diocesi ogni speciale gerarchia ester-

---

[47] Cfr. Escrivà de Balaguer: «Estatuto», art. 10, 1°.

[48] Cfr. Escrivà de Balaguer: «La Costituciòn Apostolica Provida Mater Ecclesia y el Opus Dei», Madrid, 1949 pag. 22.

na propria dell'Istituto; si cerca soltanto, mediante questa vocazione, la perfezione della vita sacerdotale attraverso la fedeltà alla vita interiore, il tenace e costante desiderio di perfezione e lo spirito, zelo e criterio apostolici.

I sacerdoti diocesani, finalmente, con il voto di obbedienza ai Moderatori interni, si obbligano a obbedirli in tutto quello che, salva sempre l'obbedienza dovuta all'Ordinario, sia in relazione con la disciplina interna, con la formazione e con la vita spirituale.

Sac. Salvatore Canals
Officiale della S. C. dei Religiosi

DE EXCLUSIONE BONI PROLIS

Caia nubit Sempronio prolem absolute excludens, quam concipi putat simplici tactu pectorum nudorum coniugum, eamque extrahi operatione chirurgica de ventre matris.

Nuptiis initis et errore detecto sive quoad conceptionem, sive quoad nativitatem filiorum, Caia nihilominus recusat actus aptos ad prolis generationem, de doloribus querens ob angustiam vaginae quam ante matrimonium non noverat. Reluctantiam etsi firmissimam mulieris haud semel vir vi superat, copulam perficiendo. Post eam tamen semper ac sedulo mulier lotionibus vaginalibus fecundationem impedit, et viro prolis cupido ac frequenter de hac eius agendi ratione conquerenti, respondit se non nupsisse nisi prolem excludendo; denique huius tantum dissensionis de causa in paternam domum revertitur.

Quaeritur: utrum matrimonium nullitate laboret ob exclusum a Caia bonum prolis.

Respondetur: Rationes dubitandi de nullitate matrimonii sunt:

I. - Sive agatur de actu positivo voluntatis (can. 1086, par. 2), sive agatur de condicione contra matrimonii substantiam (can. 1092, n. 2), nullitas matrimonii in casu erui non potest nisi ex actu voluntatis quo reiecti fuerint actus per se apti ad prolis generationem; atqui Caia ignorabat hos actus; ergo eos non exclusit, quia excludi non potest quod ignoratur;

II. - Caia prolem nolebat, quia putabat eandem extrahi de ventre matris operatione chirurgica; quia vero haec prolis exclusio nitebatur errore, isto detecto consequebatur voluntatis mutatio seu prolis acceptatio;

III. - Pertinax recusatio copulae vere coniugalis post expertos dolores ob angustiam vaginae, defectum non probat consensus matrimonialis, qui praestitus fuit antequam mulier hanc suam arctitudinem novisset.

Haec tamen dubia ita solvuntur:

I. - Caia voluntate firmissima et absoluta in nubendo exclusit eos actus, quibus gravida fieri putabat, ideoque ante matrimonium amplexus corporum nudorum, post nuptias vero actus vere coniugales, ita ut obiectum consensus matrimonialis revera defuerit;

II. - Prout patet ex copulae pertinaci recusatione postquam Caia edocta fuit de modo quo filii nascuntur, nedum horrore de operatione chirurgica subeunda causabatur prolis exclusio, sed voluntate hoc errore non determinata;

III. - Denique lotiones vaginales sedulo a Caia post copulam peractae ne fecundaretur, ostendunt eandem nedum dolores ob vaginae arctitudinem noluisse, sed et prolem.

Concludendum est igitur Caiam bonum prolis omnimode exclusisse a consensu matrimoniali, ipsumque irritasse.

Conclusionem confirmat insuperabilis pervicacia qua mulier maluit coniugalem convictum cum viro definitive abrumpere, potius quam eidem debitum reddere.

Dinus Staffa

CAUTIONES NON SINCERAE

Quaestio de validitate dispensationis datae in impedimento disparitatis cultus, et consequenter de validitate matrimonii iniți cum hac dispensatione, pergit esse obiectum studii et disceptationis canonistarum. In *The Jurist* (1953, fasc. I, p. 33) Norbert Kelly publici iuris fecit articulum, in quo non intendit disceptare totam quaestionem, nec etiam critice probare rationum ex utraque parte allatarum valorem, sed in lucem trahere plures decisiones tribunalis S. Romanae Rotae recenter in hac materia datas [1] et insuper sententiam nullitatis, ex capite impedimenti disparitatis cultus non valide dispensati propter cautiones datas quidem sed non sincere, latam a tribunali dioecesano ipsius Urbis et a tribunali S. Officii confirmatam. Praeter ipsas sententias Kelly refert rationes, quibus S. R. Rotae Auditores sententiam fulciunt. Haec omnia in laudato articulo claro stilo proponuntur, ita ut qui ea attente legunt, de statu hodierno quaestionis optime sunt edocti.

Postquam articulum legeram et relegeram, non leviter miratus fui. Aucto renim in initio articuli brevem conspectum, optime confectum, praebet historiam disceptationis doctrinalis inter canonistas agitatae eiusque disceptationis effectus seu fructus. Ex hoc conspectu apparet canonistas qui de re scripserunt esse divisos in duas partes; multi propugnant validitatem: multi invaliditatem dispensationis datae in dictis circumstantiis seu datae post cautiones praestitas sed non sincere. Auctor duos praebet elenchos nominum canonistarum qui huic et eorum qui contrariae adhaerent sententiae. Elenchus eorum qui propugnant invaliditatem comprehendit 14 nomina. Elenchus eorum qui validitatem admittunt 12 constat nominibus. Notat auctor articuli utrumque elenchum non esse omnino completum. Reapse statui in secundo elencho deesse Aertnys-Damen, qui etiam validitatem tenet. Ex elenchis confectis autem duo constant. 1. Duos coetus ad numerum quod attinet esse aequales. 2. In utroque coetu contineri canonistas, qui citari solent inter eos qui gaudent fama auctoritatis doctrinalis non mediocris, e. g. Toso, De Smet, Vromant, ut de aliis taceam.

Rebus sic stantibus videtur adesse ratio mirandi et quaerendi: quomodo S. R. Rotae Auditores, in tribus causis sententiam ferentibus, potuerint decernere *certum esse seu nulli dubio probabili obnoxium* dispensationem datam cum cautionibus non sinceris seu ficte datis esse invalide datam? Miratio videtur iustificata quoad

[1] Decisiones: Albang, coram Brennan, 26 Jan, 1948; Brooklyn, coram Felici, 4 Apr. 1951; idem coram Brennan, 26 Febr. 1952.

omnes tres sententias de qua supra, sed magis adhuc quoad primam. Pro nulla earum, sed minus adhuc pro prima sententia adduci potest *constants* S. R. Rotae iurisprudentia, non tantum quia constans iurisprudentia non oritur cum una vel duabus sententiis, sed insuper et magis quia in aliqua sententia eiusdem S. R. Rotae, data anno 1942 (Vol 34. Decisio XIII, pag. 134), coram Wynen legitur: « sane, Ecclesia non dispensat nisi dispensans morali cum certitudine censeat nupturientes adimpleturos esse id, quod promiserint; sed nullibi statuit valorem dispensationis dependere ab obiectiva sinceritate nupturientium et ab obiectiva rei veritate moralis certitudinis, quam dispensans habere debet ».

Si insuper attendamus ad rem notissimam, scilicet quod S. R. Rotae Auditores non solent ut certam admittere aliquam sententiam, quae a dimidia parte canonistarum, inter quos plures fama solidae doctrinae gaudentes, rationibus datis reiicitur, nemo negabit hic adesse rationem mirandi et movendi quaestionem: unde Auditores hauserunt hanc certitudinem necessariam ad ferendam sententiam invaliditatis matrimonii?

Rationes quae in ipsis decisionibus afferuntur non sunt novae. Ipsae sunt notae omnibus canonistis, etiam iis qui non obstantibus his rationibus non amplexi sunt sententiam pro qua afferuntur. Eas igitur retinent aut non bonos seu non probantes thesim pro qua afferuntur aut saltem non sufficientes ad infirmandas rationes quae pro contraria militant sententia. Etiam meo iudicio haec rationes non sunt sufficientes et propter hoc in aliquo articulo [2] et deinde in libro « Praelectiones Iuris Matrimonii » [3] propugnavi validitatem huiusmodi dispensationis.

His omnibus orta est suspicio Auditores S. R. Rotae alia via pervenisse ad certitudinem moralem quae requiritur ut aliquod matrimonium declarari possit invalidum. Huiusmodi aliam viam a priori nemo excludere potest. Ipse Legislator semper potest intervenire. Ipse potest statuere aliquam dispensationem datam aliquo determinato modo seu in certis circumstantiis esse invalidam. Quapropter Legislator etiam potest statuere dispensationem datam cum cautionibus non sinceris seu fictis esse invalidam. Neque excludendum est legislatorem iam ab initio seu semper habuisse voluntatem seu intentionem non dispensandi valide ab impedimento disparitatis cultus nisi cautiones sint non tantum datae sed etiam sincere datae, ita ut in casu cautionum ficte datarum dispensatio sit inva-

---

[2] In *Doctor Communis*, 1949.

[3] Vlaming-Bender. *Praelectiones Iuris Matrmonii*[4], p. 150-153, ubi etiam impugnavi rationes, quas adversarii afferunt in favorem suae sententiae.

lida et consequenter etiam matrimonium vi dispensationis obtentae celebratum. Decisiones S. R. Rotae ansam mihi praebuerunt suspicandi S. Sedem, in casu S. Congregationem S. Officii utpote in materia solam competentem, Auditoribus S. R. Rotae dedisse authenticam declarationem hanc revera semper fuisse et esse suam voluntatem.

Ut obtinerem certitudinem desideratam interrogavi personas competentes, qui mihi dixerunt S. Officium revera huiusmodi dedisse instructionem vel interpretationem huius tenoris, alicui scilicet auditori S. R. Rotae. Haec ut patet natura rei respicit dispensationem tam ab impedimento disparitatis cultus quam ab impedimento mixtae religionis. Ad hanc ultimam quod attinet raro habebit consequentias practicas; nam raro defectus sinceritatis detegetur sinceritatis detegetur ante matrimonii celebrationem et tunc matrimonium erit validum. Invaliditas enim dispensationis ab impedimento mere impedientis non obstat matrimonii validitati.

Sic quaestio agitata esset practice decisa. Omnia tribunalia possent sequi praxim S. R. Rotae et sententiam ferre: *constat de matrimonii nullitate*, quoties constet dispensationem esse datam cum cautionibus ficte seu non sincere praestitis. Qui iuridice probat defectum sinceritatis probat dispensationis concessae nullitatem et proinde nullitatem matrimonii ex capite impedimenti disparitatis cultus non valide dispensati.

Consequens est quod non amplius tenere possumus neque volumus sententiam in articulo nostro et in libro nostro propugnatam.

Laudata instructio non proprie respicit valorem scientificum utriusque sententiae a canonistis hucusque propugnatae. Id quod affirmabant multi, inter quos et ego, non erat quod Legislator nequit actu, de quo in fontibus iuris publicis nihil constabat, aliquid declarare ius vigens. Ipsi propugnabant quod e textibus Codicis aliorumque fontium de quibus habetur publica scientia non erui potest dispensationem datam cum cautionibus non sinceris esse invalidam. Hanc sententiam confirmare poterant decisione rotali anno 1942 lata. Cum intentione S. Congregationis S. Officii rationem habere eamque in opere interpretationis assumere prorsus nequibant, quia eam cognoscere nequibant. Interventus igitur S. Officii non demonstrat cum certitudine adversarios recte procedisse in opere interpretationis fontium, sed tantummodo eos pervenisse ad sententiam, quae propter rationem quam ipsi ignorabant nunc apparet esse veram et certam. Interventu S. Officii habetur certitudo, circa ius vigens: non circa ratiocinationum et probationum in praecedenti discussione adhibitarum valorem scientificum.

Forsitan res tribuenda est nostrae ignorantiae, sed mirare vix

non possumus de tribus illis sententiis rotalibus. Non ad partem decisivam quod attinet, sed quoad partem ut aiunt *motivam* seu in qua dantur rationes quibus moti Auditores de turno pervenerunt ad certitudinem requisitam ut possint statuere: constat de nullitate matrimonii. Ipsi enim attulerunt rationes, quae absque declaratione S. Officii non habuissent, ni fallor, sufficientes et hoc propter gravem disceptationem quae inter canonistas omnes ardebat eosque in duas partes aequales divisos tenebat. Eorum certitudo ideoque eorum sententia nititur, *saltem etiam*, interventu S. Officii, quam tamen inter rationes non adducunt. Et tamen, nonne haec est proprie ratio, de qua agit canon 1873, n. 3?

Hic non agitur proprie de denuntiando aliquo defectu. Sed res sub alio aspectu tangit iurisperitos. Insertio enim interventus S. Officii tamquam verae causae certitudinis requisitae ut sententia nullitatis ferri possit, praebuisset omnibus canonistis et praecipue iudicibus ecclesiasticis eam certitudinem doctrinalem utillimam et ita desideratam, et quam fontes iuris notae et doctrina iuridica ipsis non praebuit.

Dr. L. Bender O. P.

DE IURE ABBATUM EXERCENDI PONTIFICALIA

Lex propria Confoederationis Congregationum monasticarum O. S. B. n. 85 solemniter enuntiat: Abbas Primas ad normam cc. 625 et 325 in proprio territorio uti potest insignibus pontificalibus cum throno et baldachino, jure gaudet officia divina pontificali ritu celebrandi (can. 337, 2), Crucem pectoralem, annulum cum gemma etiam extra territorium deferre potest.

Unde post disputatam per plura saecula quaestionem circa Pontificalia Abbatum haud absque re erit inquisitionem historico-juridicam circa eandem instituere.

Canones respectivi sunt: I. can. 325, qui ita sonat:

« Abbas vel Praelatus *nullius*, licet charactere episcopali careat, utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno ac baldachino et iure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi; crucem autem pectoralem, annullum cum gemma, ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre ».

II. Can. 625 huius tenoris:

« Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est: postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestatem conferendi ordines ad normam normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo ».

Antequam auctor respondeat ad quaestionem, investigandum erit in *causam* Dubii a quibusdam allegati.

Causa Dubii continetur in canone secundo C. I. C. « omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur ». Quidam sub luce huius canonis normas Codicis in can. 325 et 625 expressas interpretari videntur.

Unde cardo totius quaestionis hic est: caduntne canones 325 et 625 sub can. 2 aut. sub can. 6, n. 1, qui ita profertur: « leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur ».

Salvo meliori iudicio, auctor hanc opinionem tenet: canonibus 325 et 625 applicandum esse canonem 6, n. 1, seu aliis verbis: quaelibet leges, sive universales sive particulares canonibus 325 et 625 oppositae, abrogatae sunt, nisi de particularibus legibus aliud expresse cautum sit.

Motiva, quae *iuridice* hanc opinionem iustificant, sunt sequentia:

I. Canon 253, qui hunc tenorem habet:

§ 1. « Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae *proxime* spectant, *non autem quae latius* ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus sive servato ordine iudiciario sive in linea disciplinari disceptetur.

§ 2. Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes concedere opportunas; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri et cavere ne in haec abusus irrepant ».

Pius X idem in const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, § 1, n. 8, 1, (*A. A.S.*, vol. I, pag. 13, *Fontes C. I. C.*, vol. III, n. 682, p. 732); *Ordo servandus in S. Congregationibus etc. Romanae Curiae*, 29 sept. 1908, pars II; *Normae peculiares*, cap. VII, art. VIII, n. 2 (*A. A. S.*, vol. I, p. 99; *Fontes C. I. C.*, vol. VIII, n. 6460, p. 530).

Uti ex can. 253 elucet, Codex clare distinguit inter ea, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae *proxime* spectant et inter ea, quae *latius* ad ritus referuntur, et ideo a competentia S. R. C. eximuntur.

Quam distinctionem totus Codex suppeditat; allegasse sufficiat: canones 6, n. 6; 31; 131 § 1; 135; 276; 337, § 2; 349, § 1, n. 2; 415, § 3, n. 2; 462, § 1, n. 2; 468, 2; 757, § 3; 1108, § 3; 1154; 1168, § 2; 1169, § 2; 1174, § 1; 1177; 1197, § 1; 1199; 1205, § 1; 1206, § 3; 1215; 1231, § 1; 1235, § 2; 1257; 1263, § 1; 1264, §§ 1, 2; 1268, § 2; 1290, § 2; 1296, § 1; 1296, § 3; 1304; 1390.

Interpretes C. I. C., qui bene audiunt in Curia Romana, eandem distinctionem ponunt.

Cl. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, n. 6, p. 10, interpretando can. 2, haec ad rem: « leges *liturgicae* intelliguntur, quae ritus et caeremonias ordinant et distinguuntur a legibus *disciplinaribus* aut poenalibus in libris *liturgicis* contentis »; consequenter, l. c. n. 8, 2 pag. 11: « leges *disciplinares* et poenales in iisdem libris contentae *reguntur* canone 6 »; insuper « *Consuetudines* contra Codicem reguntur can. 5, *etiamsi si sunt in materia liturgica* ». l. c., n. 8, 3, p. 11): n. 8, 4, p. 12, statuitur: « abrogata tamen sunt decreta etiam collectionis authenticae, quae sunt contraria dispositionibus Codicis; in n. 9, scribit Van Hove: « Normae generales libri I, Codicis materiis liturgicis applicandae videntur, quam-

quam nonnulli scriptores contrarium opinantur saltem quod ad certas materias (nota 1: Ita explicite vel implicite opinantur A. Vermeersch et Ios. Creusen, *Epitome I. C.*, I³, n. 66; F. M. Cappello, *Summa I. C.*, n. 72; Ph. Maroto, *Institutiones I. C.*, n. 171 (de consuetudine). Etenim *reservatio* iuris liturgici in Codice facta respicit unice leges quae ritus et caerimonias ordinant, seu ius stricte liturgicum. Can. 2 loquitur de solis ritibus et caeremoniis et « liturgicae leges », de quibus in fine canonis, eodem sensu sunt intelligendae. Constitutione Pii X *Sapienti consilio*, 29 iunii 1908 (nota 2: *A. A. S.*, t. 1, 1909, p. 13) competentia S. C. Rituum restricta est ad ea quae sacros ritus et caeremonias *proxime* spectant (c. 253) et proinde eius competentia circa principia generalia iuris ordinanda iam nulla est. Insuper Regulae libri I proponuntur ut omnino generales et exceptio foret probanda. Codicem e contra *intendisse* de iure lato sensu liturgico disponere in normis generalibus, innuitur ex eo quod interdum leges sensu lato liturgicas a normis generalibus exceperit: in can. 6, n. 6 nempe, quo servantur regulae disciplinares in libris liturgicis contentae; praesertim quia in can. 31 de materiis liturgicis disponit, licet simul servet leges liturgicas de supputatione temporis. De cetero nulla est *ratio* statuendi regulas speciales, quod principia generalia spectat, in materiis late liturgicis ».

Exempla: *S. C. Concilii*, non *S. R. C.* in causa *Boianen.* Servitii choralis, 14 febr. 1920 (*A. A. S.*, *t*om. 12, 1920, p. 117-119) ordinavit rem late liturgicam: « can. 416, excludens a ministerio diaconi ac subdiaconi dignitates, canonicum theologum et poenitentiarium, non derogat regulae Caeremonialis Episcoporum, quo hi tenentur Episcopo celebranti assistere ». Item *S. C. Concilii*, non *S. R. C.* in causa *Cremonen.* Benedictionis sacri fontis, 10 iun. 1922 (*A. A. S.*, tom. 15, 1923, p. 225-227) solvit quaestionem provenientem ex can. 462, n. 7, nominante sc. solam benedictionem fontis in sabbato sancto: utrum sc. tolerari possit consuetudo benedicendi aquam baptismalem semel in anno?

Quamvis can. 1264 statuerit: « leges *liturgicae* circa musicam sacram serventur », tamen *S. C. Concilii*, non *S. R. C.*, 25 febr. 1932 (*A. A. S.*, vol. 24, 1932, pag. 72 sq.) dedit « Istruzione circa l'esecuzione della musica sacra nelle chiese », invocando Motu proprio Pii X de 22 nov. 1903.

Const. *Divini cultus* Pii XI ex 20 dec. 1928 tractans de liturgia deque cantu Gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis » (*A. A. S.*, vol. 21, 1929, p. 33-41) recepit interpretationem a S. Congr. de Seminariis (cf. *Archiv für Katholisches Kirchenrecht*, vol. 110, p. 655-657). Exemplum pro iis, quae latius ad sacros ritus

referuntur, de quibus ordine iudiciario, praebet S. R. R. in *Tarentina* Iurium, 3 febr. 1922 (*Decisiones S. R. R.*, vol. XIV, 1922, p. 33-42; *A. A. S.*, vol. 14, p. 395-403; S. C. Concilii declarat can. 135 circa obligationem horas canonicas integre recitandi iuxta probatos *liturgicos* libros (S. C. C. in *Lincien.* Divini officii, 12 apr. 1919; 16 apr. et 9 iul. 1921, (*A. A. S.*, vol. 13, p. 477-481).

S. C. S. O. explicat can. 1205 § 1 de sepultura secundum ritus in probatis *liturgicis* libris traditos. (13 febr. 1936; *Archiv. für Kath. Kirchenrecht*, vol. 116, 1937, p. 497; *Periodica*, vol. 26, 1937, p. 467).

Pro quaestione nostra insuper citandus est cl. Michiels, *Normae generales Iuris Canonici*, vol. I, p. 50-51; ipse auctor scribit: « Notetur tamen, quod principium, in can. 2 statutum, valet *de solis legibus stricte liturgicis*, seu ordinationem cultus publici directe moderantibus (cfr. Cicognani, II, p. 16, ad 3). Quapropter, abrogatio legum veterum de materia late liturgica agentium, de ea nempe, quae, quamvis habeat cum liturgia nexum ideoque *antiquitus* fuerit a S. C. Rituum ordinata, *nunc* ab Ecclesia revera habetur disciplinaris et ab aliis S. C. Congregationibus moderatur, non hoc canone 2 regitur, sed can. 5 et 6, abrogationem iuris disciplinaris determinantibus; ita v. g. quaestiones de praecedentia, quae nunc can. 106 reguntur et a S. C. Concilii solvuntur; pariter quaestiones de usu pileoli in Missa (can. 811), et de ministro pro Missa inservienda (can. 813), quae nunc ad S. C. de Sacr. pertinent. Quapropter etiam, abrogatio legum veterum quae promulgationem, vacationem, interpretationem, cessationem etc. legum liturgicarum ordinant, non ad normam can. 2, sed can. 6, est determinanda; hae enim leges, cum regulas liturgicas non qua liturgicas sed qua regulas determinent, non sunt leges proprie liturgicae sed vere disciplinares, ideoque normis generalibus, in libro I Codicis de omnibus legibus statutis, subiectae ». In *Scholion* (l. c., pag. 51 sq.) tractatur de iure liturgico *consuetudinario* hisce vervis: « Quid de vetere iure liturgico *consuetudinario* (In quantum consuetudines, tum contra tum praeter rubricas, in materia liturgica ante Codicem existentes, erant legitimae, ex professo examinabimus in titulo *De consuetudine*) sit dicendum, in canone 2 non solvitur. Putamus tamen illius iuris consuetudinarii abrogationem eisdem regi principiis ac abrogationem iuris liturgici legalis seu scripti, ita ut « omnes consuetudines liturgicae (intellige, stricte liturgicae, sensu supra exposito), vim suam retineant, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur »; ratio est, quia, ex affirmatione Codificatoris, et propter motiva supra invocata, ius liturgicum manet Codici totaliter extraneum, iis solis casibus exceptis, in qui-

bus expresse, propter motiva specialia contrarium statuitur (cfr. Cicognani, II, p. 16, 17). Quare: 1° consuetudines liturgicae expresse in Codice reprobatae, omni vi destituuntur: tales sunt, vi can. 818, omnes consuetudines rubricis in Missae celebratione praescriptis contrariae; 2° consuetudines liturgicae, legibus liturgicis in Codice exceptionaliter contentis contrariae, suppressae sunt, si non sint centenariae vel immemorabiles; si vero centenariae sint vel immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii, pro locorum et personarum adiunctis, eas prudenter submoveri non posse existiment; hoc principium exceptionale, quod primo aspectu videtur normae generali supra statutae contrarium, imponitur verbis omnino generalibus in can. 5 adhibitis: consuetudines ibi contemplatae sunt omnes « vigentes in praesens consuetudines contra horum statuta canonum », etiam ergo si hi canones sint, per modum exceptionis, liturgici; ex hoc enim quod canones illi liturgici in Codice fuerunt assumpti, quadamtenus ut disciplinares habendi sunt et principiis specialibus, relationem Codicis cum consuetudinibus et legibus anterioribus determinantibus (in can. 5 et 6), subiecti: 3° ceterae vero consuetudines liturgicae, quae praeter leges liturgicas, etiam noviter in Codice ordinatas, vel contra leges liturgicas in Codice non noviter ordinatas, fuerunt legitime introductae; etiam nunc vim suam retinent, ad normam principiorum generalium, abrogationem consuetudinum moderantium (cfr. can. 30) ».

Quibus praemissis licet pressius accedere ad interpretandos can. 325 et 625. Quos canones esse disciplinares seu liturgicos in sensu lato ideoque regi canone 6, non secundo, elucet ex sequentibus considerationibus.

I. Pro can. 325.

Qui canon pertinet ad tractatum de *personis*, in specie de *clericis;* iisque, qui ecclesiastico iure *participes* sunt *supremae potestatis;* qui titulus VII, incipiendo a Romano Pontifice (cap. I) usque ad praelatos inferiores (cap. X) sapit *iurisdictionem* (can. 198). Ipsum cap. X de Praelatis inferioribus est caput *disciplinare*, dando notionem horum Praelatorum (can. 319); nominatio et electio tanguntur in cc. 320 sq.; requisita pro exercitio potestatis commemorantur in can. 322; potestas et obligationes allegantur in can. 323; condicio Capituli iuridice describitur in can. 324; Consultores nominantur in can. 326; sedis vacantia respicitur in can. 327. Inter hos mere desciplinares canones stat can. 325; tanguntur *iura liturgica* intra et extra proprium territorium; ergo can. 325 non tractat « *de ritibus et caeremoniis in Sacro celebrando*, in *Sacramentis administrandis* ».

Canon 325 est correlativus can. 323, ubi est sermo de potestate ordinaria et de obligationibus; *iuribus regiminis et obligationibus iuridicis* correspondent *iura liturgica* (cfr. can. 349 § 1; n. 2 in tit. VIII, cap. I, *De episcopis:* « ius habent deferendi insignia ad normam legum liturgicarum »).

II. Can. 625.

Qui canon locum suum habet in libro II C. I. C. Parte secunda *De religiosis*, tit. XIII *De obligationibus et privilegiis religiosorum;* cap. I tractat de obligationibus; cap. II de privilegiis. Quod caput statuit primo principia generalia 1° de facto iuridico privilegiorum in Institutis religiosis (can. 613); 2° de relatione religiosorum ad clericorum privilegia (can. 614). Secundo ponuntur privilegia specialia: 1° quoad exemptionem (cc. 621-624); 3° quoad abbates (can. 625).

Consequenter can. 625 considerandus est sub ratione *privilegiorum*. Canon ponit condicionem sine qua non pro obtinendis privilegiis, sc. susceptionem benedictionis abbatialis; qua recepta, Abbas regiminis gaudet duplici privilegio: primum respicit potestatem conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1; secundum est privilegium, de quo can. 325, excepto pileolo violaceo. Uti iam supra vidimus, can. 325 est canon disciplinaris, non continet ius mere liturgicum.

Consequenter viget circa hos canones, sc. 325 et 625, can. 6, n. 1: « leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur »; seu, aliis verbis: leges liturgicae in sensu lato seu disciplinares, vigentes ante Codicem, et canoni 325 et 625 oppositae, sunt abrogatae, in specie Decretum S. R. C. de 27 sept. 1659 sub titulo: *Decretum circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. habita coram Ss.mo D. N. Alexandro PP. VII emanatum* (*Decreta authentica*, vol. I, n. 1131). Duplicem scopum S. C. persecuta est: abolendi excessus et inducendi uniformitatem in sacris ritibus. Ideo in numeris viginti et uno materia Pontificalium ordinatur.

Quoad hoc Decretum iterum atque iterum citatum et ab uno etiam post Codicem tamquam iuridice adhuc vigens sequentia elementa iuridica notanda sunt:

I. Factum quasi incomprehensibile est hoc: neque can. 325 neque can. 625 citant in Annotatione Fontis C. I. C. hoc gravissimum Decretum. Simpliciter silentio tegitur.

II. Decretum declaratum fuit tamquam non vigens pro certis monasteriis vi privilegiorum in contrarium.

Instante apud ipsum Romanum Pontificem Procuratore Gene-

rali Congregationis Cassinensis causa iterum delata est ad S. R. C. et ipsa plura puncta mutavit die 20 iulii 1660, uti videndum in Decretis authenticis n. 1163. Quod Decretum expresse hanc normam addidit: « salva quavis contraria, verbaliter tantum expressa, dispositione privilegiorum particularibus Congregationis Cassinensium concessorum ». Bene notandum illo tempore Abbates Congregatonis Cassinen. *non* fuisse benedictos (cfr. Eugen. IV, Const *Etsi quaslibet*, 30 iun. 1436 ad 13; *Bull. Cass.*, vol. I, p. 71). Ne hoc quidem Decretum in Fontibus citatur. Nota: Thesaurarius S. R. E. 17 nov. 1668 declaravit: Congregationem Cassinensem habere certa privilegia « a titulo oneroso, in virtù de' pagamenti fatti in Camera ». (Margarini, *Bullarium Cassinense*, vol. II, p. 623, n. 555).

Gaudentibus Abbatibus Ordinis Cistercien. magna copia privilegiorum a Romanis Pontificibus, imprimis ab Innoc. VIII, concessorum, Procurator Generalis post publicatum Decretum Alex. VII postulavit declarationem dicti Decreti. *Analecta Iuris Pontificii*, vol. XII, 2206, causam sequenti modo referunt: « Quum a quibusdam timoratae conscientiae Cisterciensibus Abbatibus dubitatum fuerit, an sub decreto per hanc Sacram Congregationem emanato, die 27 septembris anni proxime praeteriti 1659, fuerint comprehensi Abbates Cisterciensis Ordinis, utpote specialibus Summorum Pontificum privilegiis insigniti, Sacra Congregatio, ut huic occurreret piae dubietati, instante Abbate D. Hilarione Rancato, Ordinis praedicti Procuratore Generali, ac summarium privilegiorum et gratiarum proprio Ordini in diversis temporum differentiis concessorum exhibente, declaravit decretum praenominatum alias a se editum non afficere quoad eorum Ecclesias et loca ipsis subiecta aut comprehendere Cistercienses Abbates, tamquam privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, *quibus Sacra Congregatio derogare nunquam suis decretis intendit* ». 20 ian. 1660; cfr. pro Olivetanis S. R. C. 17 mart. 1629 (*Decreta auth.*, n. 499); pro Coelestinis S. R. C. 30 mart. 1765 (l. c., n. 1533) S. R. C. 22 sept. 1703 ad 1 (l. c., 2119).

S. R. C. die 11 aug. 1770 Abbati Abbatiae Litticensis S. O. Cist. necnon eiusque successoribus indulsit « nonnulla privilegia praeter contenta in Decreto s. m. Alexandri VII sub die 27 sept. 1659 circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus (*Decreta auth. S. R. C.*, n. 2488).

III. Decreta S. R. C. circa usum Pontificalium in certis territoriis non fuerunt recepta. Episcopi Germaniae, Austriae, Helvetiae, ubi solummodo Abbates *perpetui et benedicti* regimen monasteriorum tenuerunt, Decretum Alex. VII quoad limitationem Pontificalium Abbatibus suorum territoriorum non applicuerunt (cfr.

Hofmeister, O. S. B.: *Mitra und Stab der wirklichen Praelaten ohne bischöflichen Charakter*, pag. 27 [1]

IV. Curia Romana tacite renuntiavit observationi Decreti Alex. VII. Die 5 nov. 1855 Pius IX per Breve *Optime noscitis* [2] locutus est « ad omnes Sacrorum Antistites imperialis et regiae Austriacae ditionis, in qua de nonnullis rebus ad conventionem ipsam pertinentibus » (Concordatum Austriacum). Quo in Brevi Pius IX monet Antistites: « neque desinatis studiosissime curare, ne Praelati Episcopis inferiores sacra pontificali ritu in posterum agant, nisi eiusmodi speciale privilegium ab eadem Sancta Sede obtinuerint, et ea conditione ut qui privilegium idem fuerint consecuti, diligentissime observare debeant quae in Decreto rec. mem. Alexandri VII Praedecessoris Nostri die 27 septembris anno 1659 edito sunt praescripta ». Quo Brevi in Austriam et Hungariam misso *ipsi Episcopi* in Conventu Vindobonae 1856 celebrato expresserunt suum desiderium in hoc sensu: Abbates rite benedicti observent in celebrandis Pontificalibus consuetudines hucusque observatas. Unde ipsi Episcopi die 11 iun. 1856 libello supplici adierunt S. Sedem supplicando, ut Abbates uberioribus privilegiis munirentur quam in Decreto Alexandri VII; in specie Episcopi petierunt, ut numerus dierum augeretur, in quibus liceat pontificaliter celebrare Abbatibus, etiam in celebrandis exsequiis et extra ecclesiam abbatialem. Nos ipsi, ita Antistites, invigilabimus, ne abusus irrepant. Motivum libelli supplicis fuit: limitatio Pontificalium, prout apud Abbates Austriae et Hungariae, suscitabit admirationem populi et sacrae functiones in ecclesiis abbatialibus damnum subibunt. Curia Romana i. e. S. R. C. die 14 ian. 1857 respondit unice *ad unum* punctum: de pontificalibus a *dignitatibus Capitulorum celebrandis* [3]. Quoad *abbates Curia Romana nihil respondit.* Unde venit, ut Abbates Austriae et Hungariae retinuerunt antiquas consuetudines;

---

[1] In Austria saec. XVIII *solus* archiep. Olomucen. proposuit Dubium: « an dicti Abbates et Praelati teneantur servare Decretum Alex. VII circa usum Pontificalium restrictum Praelatis inferioribus concessum, *S. C. Concilii, non Rituum*, respondit 7 iun. 1755: *Affirmative.* In Germania *unice* archiep. Colonien., qui insimul fuit Episcopus Monasterien., Hildeshien. Paderbornen., Osnabrugen. petiit extensionem Decreti pro Olomucen. dioecesi dati ad dictas dioeceses Germaniae Inferioris. Quod factum est per Const. Clemen. XIII *Inter multiplices*, 11 dec. 1758 (*Fontes C. I. C.*, vol. II, n. 449, p. 579 ss.). Pius IX praescripsit in Decreto Confirmationis Congregationis Bavaricae a. 1858 de novo erectae observationem Decreti Alex. VII et in Decreto confirmationis quorumdam Abbatum v. g. Ruperti Seidenbusch abbatiae S. Ludovici ad Lacum 15 mart. 1867 (Hofmeister, l. c. p. 28).

[2] *Acta Pii IX*, vol. II, p. 485-491.

[3] Hofmeister l. c. p. 29, *Theologisch Praktische Quartalshrift*, vol. 57 (1904), p. 227.

immo has consuetudines receperunt illae Congregationes Benedictinae, quae secunda parte saeculi XIX fundatae sunt; nam hae Congregationes redierunt ad traditionem benedictinam circa Abbates benedictos et perpetuos. Bene dicit cl. Hofmeister (l. c., p. 29): responsum Curiae Romanae ad libellum supplicem Episcoporum Austriae et Hungariae habetur in can. 325 et 625. Practice ergo Decretum Alexandri VII *iam ante Codicem per privilegia*, per usum contrarium, per tolerantiam S. Sedis abrogatum fuit.

V. Auctores interpretantes canonem 625 ne commemorant quidem Decretum Alexandri VII, sed concipiunt can. 625 tamquam continentem novum ius sine ullo respectu ad ius antiquum; cf. ex. gr. Berutti, *De Religiosis*, p. 303; Beste, *Introductio in Codicem*, ed. 3, p. 429; Cocchi, *Commentarium de Religiosis*, ed. 2, p. 227; Coronata, *Institutiones*, ed. 2, vol. I, p. 837; *Epitome iuris canonici*, ed. 5, vol. I, n. 784; Fanfani, *De iure Religiosorum*, ed. 2, p. 470, n. 464; Fuehrich, *De Religiosis*, p. 263; Goyeneche, *De Religiosis*, p. 176; Ione, *Gesetzbuch des Kanonischen Rechtes*, vol. I, p. 551; Schaefer, *De Religiosis*, ed. 4, n. 604; Schoensteiner, *Grundriss des Ordensrechtes*, p. 557; Toso, *De Religiosis*, p. 214.

Hi auctores procedunt iuxta illud: « ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi » (l. 25 D. 32). « Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus » (cfr. l. 8, D. VI, 2; cap. 6 § 6 X, I, 33).

Unicum auctorem, qui invocat Decretum Alexandri VII, inveni Blat, *Commentarium*, ed. 2, *De personis*, p. 693. Blat applicat canonibus 325 et 625, can. 2. Uti iam supra notavimus et ex auctoritate Van Hove et Michiels necnon ipsius Codicis probavimus, hisce canonibus utpote disciplinaribus applicandum esse can. 6. Can. 2 dicit: « nisi earum aliqua in Codice *expresse* corrigatur ». *Inconsequenter* ad haec verba can. 2, Blat admittit ad n. 21, Decreti Alex. VII, *implicitam* correctionem.

VI. Sunt auctores, qui expresse Decretum Alex. VII, uti abrogatum declarant v. gr. Chas Augustine O. S. B., *Commentary*, ed. 4, vol. III, p. 353: « The Code does not limit the right of pontificating to un certain number of times, and hence the decree of Alex. VII Sept. 27, 1659, is obsolete »; Mayer O. S. B., *Benediktinisches Ordensrecht*, vol. I, p. 199, nota 4: « das im Auftrage Alexanders VII am 27-9-1659 erlassene Dekret der Ritenkongregation (*Decreta authentica S. C. R.*, I, n. 1131) ist damit (= per can. 625) aufgehoben ».

VII. S. R. C. expresse correxit sua Decreta; Die 1 oct. 1701, ad 6, vetuit Abbates Congregationis Lateran. dare triplicem benedictionem extra tempus missae pontificalis (*Decreta auth.*, n. 2080).

Missale Romanum, Romae-Tornaci-Parisiis, editoribus Descléé et sociis, a. 1942: *Ritus servandus in celebratione Missae;* XII, *De benedictione in fine Missae*, n. 7: « in missa solemni Celebrans eadem voce, qua in missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus *vel Abbas* ». Missale ante Codicem editum v. g. Ratisbonae 1911, l. c. habet: « nisi sit Episcopus *vel Abbas pontificaliter celebrans* ».

VIII. Iuxta can. 29 « consuetudo est optima legum interpres » (cfr. l. 37 et l. 28, D. I, 3; c. 8, X, I, 4; reg. 45, R. I. in VI). Ex triginta annis (19 maii 1918-1948) habetur apud Abbates *consuetudo mere exsecutiva legis clarae, nihil addendo vel minuendo.* Talis consuetudo firmat legem. Cum haec nullum ius novum constituat, nulla requiritur conditio temporis, voluntatis, consensus legislatoris (cfr. Van Hove, *De consuetudine*, n. 235-248). Insuper: interpretatio usualis 30 annorum habet praesumptionem veritatis (l. c., n. 243).

Modestissimum hunc tractatum velim concludere cum verbis Vincentii Hispani, qui ad glossam « propter historiam » in cap. un. X I. 15 pulcherrime de baculo pastorali scribit: « In baculi forma, praesul datur haec tibi norma:

Attrahe per primum, medio rege, punge per imum;
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes;
Attrahe, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta ».

D. G. Oesterle O. S. B.

CANON 5 CODICIS IURIS CANONICI POSSITNE APPLICARI AD INTERPRETATIONEM CANONIS 88 § 3 MOTU PROPRIO « CREBRAE ALLATAE SUNT », UBI DE MATRIMONIIS MIXTI RITUS AGITUR?

In ultimo fasciculo anni praeterlapsi huius periodici [1] retulimus Responsum datum a Pont. Commissione ad redigendum Codicem iuris canonici orientalis de canone 88 § 3 Motu proprio « Crebrae allatae sunt » eiusque relatione ad can. 1097 § 2 Codicis I. C. Stabilitur in his canonibus coram quo parocho, sponsi aut sponsae, matrimonium celebrandum sit, sive fideles sint eiusdem ritus, sive sint catholici diversi ritus. Nos hic tantum de matrimonio mixti ritus dicere intendimus. A multo tempore receptum est quod matrimonia mixti ritus (v. g. inter virum latinum et mulierem graecam vel vice versa) celebrantur coram parocho sponsi, non sponsae. Habebantur tamen exceptiones: Rutheni, saltem si cum Latinis matrimonium contraxerunt, id faciebant praesente parocho sponsae [2]. Praeterea apud Italo-graecos regula a Benedicto XIV in Constitutione « Etsi pastoralis » (1742) stabilita in vigore erat, secundum quam matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem coram parocho latino ineundum erat; inter maritum vero graecum et uxorem latinam contrahi poterat vel graece coram parocho graeco, vel latine coram parocho latino, ubicumque maritus graecus voluisset [3].

Haec disciplina confirmata est can. 1097 § 2 Cod. I. C. Tamquam norma generalis statuitur: « matrimonia autem catholicorum mixti ritus in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ». Sed admittitur exceptio: « nisi aliud particulari iure cautum sit ». Hac clausula salvatur ius particulare Ruthenorum et Italo-graecorum. Mirum non est quod legis lator Codicem pro Latinis edens, noluit funditus tractare quaestionem matrimonii mixti ritus, cum ad hoc faciendum opus fuisset considerare non solum matrimonium inter latinum et orientalem ineundum, sed etiam matrimonium inter orientalem unius ritus et orientalem alterius; quod ab eius proposito exorbitabat.

Aliter res se habuerunt cum anno 1949 Pius XII Litteris Apost. « Crebrae allatae sunt » promulgavit novum ius matrimoniale Ecclesiae Orientalis. Non enim in animo fuit id solum, describere

---

[1] p. 582 ss.

[2] Decretaindicata vide loc. cit. p. 583.

[3] § VIII, n. XI, *Collectanea S. C. de P. F.*, t. I, n. 338, p. 127,

accurate praescripta quae in usu erant, sed etiam ordinare et unificare aliaque perficere que conferre poterant ad rectum ordinem legum stabiliendum, cum « in expletionem optatorum multis e locis Apostolicae Sedi explicatorum expedire videretur, ut, quoad fieri possit, ecclesiastica disciplina ad matrimonialia impedimenta et ad formam ineundi nuptialis foederis pertinens unius tenoris redderetur » [4]. Ob hanc causam in can. 88 § 3 omissa est clausula qua ius particulare salvabatur, sed omnia matrimonia mixti ritus abhinc coram parocho viri celebranda dicuntur. Permittitur tantummodo ut in favorem unitatis ritualis familiae vir domicilium vel quasi-domicilium habens in *regione orientali*, i. e. in locis omnibus etsi in eparchiam, provinciam, archiepiscopatum vel patriarchatum non erectis, in quibus orientalis ritus ab antiqua aetate servatur [5], consentire possit ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur.

Cum autem clausula quae ad ius particulare spectat, in Motu proprio non expressis verbis, sed tacite suppressa sit, orta sunt dubia de perduratione huius clausulae. Verum Pont. Commissio ad redig. C. I. C. Orientalem die 3 Maii 1953 respondit: praescriptum can. 88 § 3 « matrimonia autem catholicorum mixti ritus in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda » abrogare praescriptum can. 1097 § 2 C. I. C. « matrimonia autem catholicorum mixti ritus, *nisi aliud particulari iure cautum sit*, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ».

Quamquam hoc Responso sat clare elucet quae sit mens S. Sedis, nuper aliqui censuerunt alia via probari posse perdurationem, quod ad praxim attinet, clausulae in can. 1097 § 2 C. I. C. contentae. Hoc autem evincere conati sunt ope can. 5 Codicis I. C.

In hoc canone agitur de consuetudinibus ante Codicis I. C. promulgationem vigentibus et statutis huius Codicis oppositis: quaeritur an et quatenus hae consuetudines post Codicis I. C. promulgationem vigere pergant. In canone tria genera consuetudinum distinguuntur: 1) consuetudines quae ipsis canonibus C. I. C. expresse reprobantur, tamquam iuris corruptelae; 2) consuetudines centenariae aut immemorabiles [6] non expresse reprobatae; 3) consuetudines quae non sunt centenariae aut immemorabiles neque reprobatae. Secundum can. 5 consuetudines primi generis « tamquam iuris

---

[4] Litt. Apost. « Crebrae allatae sunt », A. A. S. XLI (1949), p. 89.

[5] Motu proprio « Postquam Apostolicis Litteris », can. 303, § 1 n. 2°.

[6] Auctores notant haec duo vocabula, attento quoque can. 27 et 30 non copulative, sed disiunctive intelligenda esse, ideoque sufficere si constet unum verificari de determinata consuetudine, ut Codicis praescriptum urgeat, Wernz-Vidal, t. I, n. 99; G. Michiels, t. I, p. 79/80; Vermeersch-Creusen, *Epitome*, t. I, n. 75.

corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles neve sinantur in posterum reviviscere »; consuetudines tertii generis quoque « suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat ».

Mitius iudicatur de consuetudinibus secundi generis. Hae ab Ordinariis tolerari posse dicuntur si isti « pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse ». Canonistae vero notant Ordinarios non posse approbare tales consuetudines et multo minus confirmare, cum iudicium de eis spectet ad Sedem Apostolicam quae eas de se submoveri vult et tantum permittit ut observentur tamquam minus malum [7].

Non defuit igitur qui anteriorem disciplinam in matrimoniis mixti ritus Ruthenorum hodie quoque servari posse contendens, recurrit ad ea quae in can. 5 C. I. C. statuta sunt de hoc secundo genere consuetudinum. Bene tamen attendere debet in hoc canone 5 agi de solis consuetudinibus, non de legibus. De legibus ante Codicis promulgationem vigentibus et praescriptis C. I. C. oppositis dicitur in can. 6, n. 1° C. I. C., quo statuitur omnes has leges sive universales sive particulares abrogari, « nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur ». Ita quae Decretis Apostolicae Sedis stabilita sunt pro Ruthenis Statuum Foederatorum Americae sept., vel pro Ruthenis Americae mer. vel pro Ruthenis regionis Canadiensis extra orbem can. 5 versantur. Etiamsi si quis ex « analogia » nunc applicare vellet Litt. Apostolicis « Crebrae allatae sunt » quae in canone 5 statuuntur de Codice I. C., applicationem coartare deberet ad illa territoria in quibus anterior de matrimoniis mixti ritus disciplina non lege sed consuetudine constituta est, ut forte apud Ruthenos subcarpathicos vel Hungaros orientalis ritus.

At multo gravior contra hunc modum procedendi obiectio moveri debet. Quo enim iure lex statuta ad determinandam vim consuetudinum ante Codicem I. C. vigentium et praescriptis huius Codicis oppositarum - auctores insuper notant naturam peculiarem huius canonis [8] — Litt. Apostolicis « Crebrae allatae sunt » applicatur, legi multo posteriori et omnino distinctae, quamquam nullibi in fontibus iuris talis extensionis vestigium invenitur. Unica ratio esset, si in hac quaestione deesset expressum praescriptum legis sive universalis sive particularis quo determinetur quam vim leges vel consuetudines ante Motu proprio existentes et huius Motu proprio praescriptis oppositae habeant. Cf. can. 20 Cod. I. C. Sed

---

[7] Vermeersch-Creusen, *Epitome*, 1, n. 75: Michiels, t. I, p. 80; van Hove, *De legibus eccl.*, p. 60.

[8] Michiels, t. I, p. 79/80.

tale praescriptum nullo modo deest. Dicitur enim clare in fine novae Legis: « Simulac per Apostolicas has Litteras huiusmodi canones vigere coeperint, sua destituentur vi quodlibet statutum, sive generale sive particulare vel speciale, etiam latum a Synodis speciali forma adprobatis, quaelibet praescriptio et consuetudo adhuc vigens, sive generalis, sive particularis ita ut disciplina sacramenti matrimonii unice iisdem canonibus regatur neque amplius ius particulare iis contrarium vigorem habeat nisi quando et quantum in iis admittatur » [9].

Clarius, certe, legislator suum intentum exprimere non potuit. Quapropter illa canonis 5 C. I. C. ad Motu proprio applicatio nobis omni fundamento carere videtur. Cum autem quaestio nobis proposita non parvum momentum habeat ad differentiam ius latinum inter et orientale intelligendam paucis videamus cur in iure orientali non habeatur canon quo simile quid statuatur ut in can. 5 C. I. C. Prae oculis habere debemus quod condiciones iuris orientalis differunt a condicionibus iuris latini. Liceat mihi citare hic quaedam scripta a P. Abéla S. I. in prooemio quod praemisit lucubrationi quam de fontibus iuris Melchitarum composuit [10]. « Point n'est besoin d'insister déjà ici sur le fait que les documents melkites plus récents de valeur canonique incontestable, sont plutôt excessivement rares. Un seul synode provincial, savoir le second d'Ain-Traz est approuvé par le Saint Siège; encore est-il très peu étendu.

Mais il me semble qu'on ne doit pas, pour autant, négliger les autres Conciles. Car ils demeurent, au moins en partie, des sources précieuses de renseignements sur les *coutumes* établies, non moins que sur ce qui reste en vigueur des lois anciennes. « Clare hic apparet quanti momenti sit ius consuetudinarium pro Melkitis, et quod pro eis valet, affirmari potest etiam si non de omnibus, de pluribus saltem ritibus. Si autem rebus sic stantibus penes singulos Episcopos esset iudicare utrum omnes istae consuetudines prudenter submoveri possint an potius tolerandae sint, facile intelligitur actum esse de certitudine iuris et de uniformitate iuris orientalis. Unde intelligitur neque ob hanc rationem transferri posse quae in Cod. I. C. statuuntur de consuetudinibus Codici oppositis ad ius Orientalium; sed rationem habendam esse condicionis peculiaris uniuscuiusque ritus.

AEMILIUS HERMAN S. I.

---

[9] A. A. S. XLI (1949). p. 117.

[10] Codificazione canonica orientale, *Fonti*, Ser. I, t. VIII, Romae 1932, p. 281.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

LA PROPOSTA PER IL DIVORZIO AL PARLAMENTO ITALIANO

In data 26 ottobre u. s. l'On. Sansone, deputato del Partito Socialista Italiano, ha presentato al Parlamento una proposta di legge per l'introduzione del divorzio in Italia. Il deputato socialista chiede che possa essere concesso lo scioglimento del vincolo coniugale:

1) se l'altro coniuge è stato condannato con sentenza definitiva a quindici anni e più di reclusione;

2) se l'altro coniuge ha tentato l'uxoricidio in danno del coniuge richiedente;

3) se l'altro coniuge ha abbandonato il tetto coniugale per un periodo ininterrotto non inferiore a quindici anni, o se vi sia stata fra i coniugi separazione di fatto, consensuale o di diritto, durata per non meno di quindici anni ininterrottamente;

4) se l'altro coniuge è affetto da malattia mentale riconosciuta inguaribile e che sia degente in ospedale psichiatrico o luogo di cura da non meno di cinque anni;

5) se l'altro coniuge, quale cittadino straniero, ha conseguito all'estero lo scioglimento del matrimonio contratto in Italia.

Su tale progetto sono state agitate alcune questioni, che sembrano meritevoli di risposta.

La Legge proposta dall'On. Sansone tocca il Concordato tra la Santa Sede e l'Italia?

Il dubbio non è sfuggito all'On. Sansone, ma i termini da lui usati per risolverlo possono lasciare incerti sulle sue intenzioni. A prescindere da queste, è perfettamente chiaro che una legge, la quale concedesse lo scioglimento del matrimonio celebrato davanti a un sacerdote cattolico, secondo le norme concordatarie, violerebbe i Patti Lateranensi.

Si dice: la legge progettata toglierebbe nel caso soltanto gli effetti civili, senza intaccare menomamente il matrimonio come vincolo religioso, regolato dal Diritto Canonico. Ma è facile rispondere che, secondo l'art. 34 del Concordato: « Lo Stato Italiano riconosce al Sacramento del matrimonio, disciplinato dal Diritto Canonico, gli effetti civili ». E' dunque evidente che una legge, la

quale privasse degli effetti civili un matrimonio celebrato secondo le norme concordatarie — e in qual modo potrebbe spingersi oltre? — sarebbe in contrasto con gl'impegni assunti verso la Santa Sede dallo Stato Italiano [1].

Una legge che concedesse lo scioglimento del matrimonio celebrato secondo le norme concordatarie, potrebbe essere approvata dal Parlamento Italiano come una legge ordinaria, o esigerebbe invece un procedimento di revisione costituzionale?

Nell'Art. 7 della Costituzione Italiana è detto: « Lo Stato e la Chiesa Cattolica sono, ciascuno nel proprio ordine, indipendenti e sovrani. I loro rapporti sono regolati dai Patti Lateranensi. Le modificazioni dei Patti, accettate dalle due parti, non richiedono procedimento di revisione costituzionale ». Per questa norma lo Stato Italiano non potrebbe modificare — anche in virtù della sola Costituzione — in modo unilaterale quei Trattati di natura internazionale che sono i Patti Lateranensi. L'esenzione dallo speciale procedimento di revisione della Costituzione, stabilito dall'art. 138 della medesima, è stata così esplicitamente limitata alle modificazioni convenute con accordi bilaterali tra lo Stato e la Santa Sede. E' evidente, del resto, come un patto bilaterale, quale è il Concordato, non possa essere modificato unilateralmente da una sola delle parti. Per ogni altra modifica, anche parziale, dei Patti predetti, la Costituzione prescrive il procedimento che occorre per la revisione delle leggi costituzionali. Pertanto una legge ordinaria delle Camere, che

---

[1] L' On. Sansone osserva che lo Stato Italiano ha più volte emanato leggi in materia matrimoniale, senza che la Santa Sede elevasse proteste o denunciasse il Concordato: tali sono le leggi n. 847 del 27 maggio 1929; n. 1159 del 24 giugno 1929; il decreto n. 289 del 28 febbraio 1930; il decreto n. 1019 del 1 giugno 1936; n. 2010 del 21 agosto 1936; l'art. della Costituzione che non fa menzione dell'indissolubilità del matrimonio.

Non si comprende tuttavia come le leggi e i decreti citati possano giovare alla tesi del Deputato divorzista: la legge matrimoniale n. 847 fu emanata in accordo coll'apposita Commissione nominata dalla Santa Sede; la legge n. 1159 e il decreto n. 289 non riguardano il matrimonio celebrato davanti al sacerdote cattolico, ma il matrimonio celebrato davanti al ministro del culto ammesso; i decreti n. 1019 e 2010 riguardano parimenti una materia estranea al Concordato, cioè il matrimonio delle popolazioni acattoliche dell'Africa Orientale: l'art. 29 della Costituzione non suscitò le proteste della Santa Sede, perchè i Patti Lateranensi, e quindi anche l'art. 34 del Concordato, sono già tutelati dall'art. 7 della Costituzione medesima.

L' On. Sansone omette invece di menzionare il decreto n. 1728 del 17 novembre 1938, che impediva il matrimonio tra persone appartenenti alla razza ariana e quelle di razza diversa, togliendo ad esso gli effetti civili, anche se celebrato davanti al sacerdote cattolico: tale decreto, appunto perchè in contrasto con il Concordato, diede luogo alle reazioni più vive e alla pubblica e solenne disapprovazione del Sommo Pontefice.

concedesse lo scioglimento del matrimonio celebrato secondo le norme concordatarie, sarebbe in aperto contrasto, oltre che con i Patti Lateranensi, anche con la Costituzione. Una legge simile offenderebbe inoltre il sentimento dell'immensa maggioranza dei coniugi italiani che hanno celebrato il matrimonio con la convinzione di contrarre un vincolo anche civilmente indissolubile.

Il problema del divorzio è attuale in Italia?

Nel 1947 l'On. Gullo, comunista, lo negava. Ad appena sette anni di distanza, l'On. Sansone lo afferma. Ma se neppure in Italia mancano del tutto le persone che apertamente conculcano anche i vincoli più santi, la parte enormemente preponderante del nostro popolo, specie nei piccoli centri e nelle campagne, rispetta religiosamente gli affetti famigliari. La situazione non viene sostanzialmente mutata dagli episodi clamorosi di cui si alimentano le cronache, con un rilievo che sembra fare di essi l'espressione tipica della società italiana: è la violazione della norma, e non la fedele attuazione di essa, che suscita rumore; ma la violazione della norma è precisamente un'eccezione.

Qual'è allora il valore delle statistiche presentate dall'On. Sansone?

Secondo i dati statistici riportati dal deputato socialista, le domande di separazione personale nel corso degli ultimi venti anni sono quasi raddoppiate in Italia, passando da 4.523, quante furono nel 1933, a 8.152 nel 1952.

Partendo da questo rilievo, l'On. Sansone arguisce che negli ultimi venti anni oltre un milione di coppie coniugali si sono sciolte di fatto e che per lo stesso periodo si possono computare a quattro milioni gli italiani che, dal punto di vista familiare, sono fuori della legge.

Per ciò che riguarda l'elencazione delle cifre delle domande di separazione, possiamo convenire con l'On. Sansone, con qualche lievissima variante a vantaggio del suo punto di vista. Ma, dopo questo, non possiamo seguirlo nelle sue acrobatiche evoluzioni, che non sono sorrette nè dalla logica, nè dalla statistica, ma unicamente dalla volontà di difendere una tesi preconcetta.

In merito alle cifre nelle quali abbiamo detto di poter convenire, dobbiamo poi osservare: in primo luogo queste cifre comprendono anche i matrimoni celebrati davanti al sacerdote cattolico secondo le norme concordatarie, così da lasciar pensare che l'Onorevole proponente voglia esteso il divorzio indistintamente a tutti i

matrimoni; in secondo luogo, l'aumento repentino delle domande di separazione si è avuto in conseguenza delle rovine morali della guerra; infatti: queste domande nel 1947 furono 10.912; 10.275 nel 1948; 8.656 nel 1949; 9.425 nel 1950; 8.259 nel 1951: 8.152 nel 1952; 7.875 nel 1953: è dunque manifesta negli ultimissimi anni la tendenza di queste cifre a discendere; in terzo luogo, anche se il numero delle richieste di separazione fosse molto più alto, il divorzio non risolverebbe il problema, ma lo renderebbe più grave. Le separazioni personali non offrono l'incentivo di una nuova unione e sono per questo molto più rare, dietro motivi molto più gravi, di quanto non accada per il divorzio: infine lasciano sempre viva la speranza di una conciliazione, che il divorzio renderebbe impossibile.

E' esatto quanto viene asserito nella relazione per la proposta di divorzio, « cioè che quei popoli che da più tempo hanno concesso una determinata regolamentazione per casi di scioglimento di matrimonio, hanno una maggiore moralità e sanità della famiglia (Svezia, Svizzera, Belgio, Paesi Bassi, Polonia, Danimarca, Ungheria, ecc.), che si manifesta con un numero sempre più esiguo di scioglimenti rispetto al numero delle famiglie costituite e con una trascurabilissima aliquota di delitti contro l'altro coniuge e la famiglia in genere »?

Dagli annuari statistici rispettivi, rileviamo, per i Paesi indicati dall'On. Sansone, i dati seguenti: In *Belgio* la media annuale dei divorzi fu: negli anni 1936-1940, di 3.006; negli anni 1941-1945, di 3.120; negli anni 1946-1950, di 6.017; nel 1948, di 6.518; nel 1949, di 5.988; nel 1950, di 5.100; nel 1951, di 4.366; nel 1952, di 4211;

in *Danimarca* nel 1936 i divorzi furono 3.210; 3.344 nel 1937; 3.394 nel 1938; 3.647 nel 1939; 3.472 nel 1940; 3.761 nel 1941; 4.450 nel 1942; 4.913 nel 1943; 5.365 nel 1944; 5.849 nel 1945; 7.500 nel 1946; 6.943 nel 1947; 7.120 nel 1948; 6.991 nel 1949; 6.968 nel 1950; 6.681 nel 1951; 6.735 nel 1952;

nei Paesi Bassi la media annuale dei divorzi negli anni 1936-1939 fu di 3.285; per salire nel 1947 a 8.847; nel 1948 a 8.038; e scendere nel 1949 a 7.004; nel 1950 a 6.462; nel 1951 a 6.075; nel 1952 a 5.831;

in Ungheria i divorzi nel 1937 furono 5.709; 5.707 nel 1938; 5.135 nel 1939; 5.470 nel 1940; 6.796 nel 1941; (mancano dati più recenti);

in Svezia i divorzi nel 1941 furono 3.535; 4.212 nel 1942; 4.747 nel 1943; 5.423 nel 1944; 6.463 nel 1945; 6.988 nel 1946; 7.058 nel 1947; 6.782 nel 1948; 7.609 nel 1949; 8.008 nel 1950; 8.431 nel 1951;

in Svizzera i divorzi nel 1939 furono 2.996; 3.093 nel 1940;

3.066 nel 1941; 3.190 nel 1942; 3.211 nel 1943; 3.138 nel 1944; 3.726 nel 1945; 4.298 nel 1946; 4.280 nel 1947; 4.292 nel 1948; 4.111 nel 1949· 4.241 nel 1950; 4.295 nel 1951; 4.188 nel 1952.

L'On. Sansone si è fermato a rilevare la diminuzione dei divorzi che, nei Paesi coinvolti nel conflitto, si è verificata negli anni più recenti, rispetto a quelli che hanno immediatamente seguito la guerra. Ma non si può davvero chiamare corretto un criterio, nel quale si dimentica che la guerra rappresenta un periodo eccezionale, durante il quale i divorzi, impediti o rinviati per le circostanze particolari, si accumulano per il periodo immediatamente successivo: così

in Norvegia il numero dei divorzi fu di 2.323 nel 1950, di 2.151 nel 1951, di 2.116 nel 1952.

Per valutare esattamente il fenomeno, occorre invece confrontare le cifre attuali con quelle degli anni precedenti il conflitto. Da questo confronto, fatto sulle cifre che abbiamo riprodotte, risulterà chiaro l'avvertimento: anche nei Paesi indicati dall'On. Sansone, il numero dei divorzi è in gravissimo aumento.

Ma perchè il deputato socialista non ha proseguito la sua indagine? Avrebbe allora constatato che i divorzi furono:

in Belgio 692 come media annuale intorno al 1900; 1070 intorno al 1910; 2.161 intorno al 1920; 2.305 intorno al 1930;

in Danimarca 412 come media annuale intorno al 1900; 736 intorno al 1910; 1.298 intorno al 1920; 2.346 intorno al 1930; 3.627 intorno al 1940;

in Norvegia 122 come media annuale intorno al 1900; 394 intorno al 1910; 622 intorno al 1920; 872 intorno al 1930, per passare a 2.347 nel 1949;

nei Paesi Bassi la media annuale dei divorzi fu di 552 intorno al 1900; di 858 intorno al 1910; di 1826 intorno al 1920; di 2.866 intorno al 1930;

in Svezia la media annuale dei divorzi fu di 384 intorno al 1900; di 581 intorno al 1910; di 1.324 intorno al 1920; di 2.250 intorno al 1930; di 3.495 intorno al 1940;

in Svizzera la media annuale dei divorzi fu di 1.062 intorno al 1900; di 1.549 intorno al 1910; di 2.076 intorno al 1920; di 2.839 intorno al 1930; di 3.140 intorno al 1940.

L'On. Sansone omette poi di parlare di altri Paesi, la cui esperienza è per noi di somma importanza. In primo luogo

la Francia, così affine sotto tanti aspetti all'Italia, ebbe 7.776 divorzi come media annuale intorno al 1900; la media salì a 13.502

nel 1910; a 29.712 nel 1920 nel 1920; per scendere a 21.102 nel 1930; e risalire a 22.355 intorno al 1940; a 37.718 nel 1945; a 64.064 nel 1946; scendendo, per la ragione già accennata, a 33.644 nel 1951; a 32.256 nel 1952;

gli Stati Uniti ebbero 56.091 divorzi come media annuale in torno al 1900; 83.978 intorno al 1910; 157.204 intorno al 1920; 192.241 intorno al 1930; 257.500 intorno al 1940; 485.000 nel 1945; 610.000 nel 1946; 483.000 nel 1947; 408.000 nel 1948; 397.000 nel 1949; 385.144 nel 1950; 371.000 nel 1951;

la Germania ebbe 8.416 divorzi come media annuale intorno al 1900; 15.057 intorno al 1910; 35.164 intorno al 1925; 46.477 intorno al 1934; 48.873 intorno al 1937.

Il fenomeno non è meno grave se si confronta il numero dei divorzi con quello delle famiglie costituite:

in Belgio si sono avuti 6 divorzi su 10.000 matrimoni come media annuale intorno al 1900; la media è salita a 8 intorno al 1910; a 14 intorno al 1920, con una leggera e transitoria flessione a 13 nel 1930;

in Danimarca la stessa media annuale fu di 10 intorno al 1900; di 15 intorno al 1910; di 22 intorno al 1920; di 34 intorno al 1930; di 43 intorno al 1940;

in Norvegia tale media fu di 4 intorno al 1900; di 11 intorno al 1910; di 15 intorno al 1920; di 19 intorno al 1930;

nei Paesi Bassi la media fu di 7 intorno al 1900; di 9 intorno al 1910; di 15 intorno al 1920; di 19 intorno al 1930;

in Svezia la media fu di 5 intorno al 1900; di 6 intorno al 1910; di 13 intorno al 1920; di 20 intorno al 1930; di 26 intorno al 1940;

in Svizzera la media fu di 20 intorno al 1900; di 25 intorno al 1910; di 31 intorno al 1920; di 37 intorno al 1930; di 36 intorno al 1940;

in Francia la media fu di 10 intorno al 1900; di 16 intorno al 1910; di 35 intorno al 1920 — cioè subito dopo l'altra guerra mondiale; di 22 intorno al 1930; di 23 intorno al 1937;

negli Stati Uniti la media fu di 40 intorno al 1900; di 47 intorno al 1910; di 73 intorno al 1920; di 73 intorno al 1930; di 85 intorno al 1940;

in Germania la media fu di 9 intorno al 1900; di 13 intorno al 1910; di 28 intorno al 1925; di 33 intorno al 1934; di 31 intorno ai 1937.

Il progressivo aumento dei divorzi è troppo universale e presso che costante per essere frutto del caso.

L'altra osservazione dell'On. Sansone, secondo la quale dove il divorzio è da tempo introdotto « il senso della famiglia è molto forte ed i delitti contro di essa sono quasi inesistenti », è ancora più manifestamente erronea. Le condanne per i delitti contro la famiglia, previsti dal titolo undecimo del Codice Penale, nel 1950 sono state in *Italia* complessivamente 3.804; nello stesso anno, nel *Belgio* sono state 4.037; in *Francia*, nel 1947 — l'anno più recente di cui abbiamo le cifre — sono state 16.782.

Poichè il numero delle unioni illegittime è anche in Italia considerevole, non è forse opportuno, anzi doveroso — come dice l'On. Sansone — *che lo Stato Italiano provveda alla felicità di questi infelici mediante la concessione del divorzio?*

Sarebbe lo stesso che chiedere se, dato il numero considerevole dei furti, delle rapine, degli omicidi, non sia opportuno che lo Stato regolarizzi la condizione dei delinquenti, aprendo loro le porte del carcere e abolendo le pene stabilite per questi crimini. E' un assurdo morale, prima che giuridico, offendere un cardine della vita sociale per la felicità privata di alcuni, e precisamente dei colpevoli. Lo Stato deve sostenere i cittadini nella loro elevazione morale, e non facilitare a loro la discesa. E il divorzio risospinge l'umanità al punto, dal quale ricominciò faticosamente a salire fino all'indissolubilità del vincolo coniugale.

Né si dica che, quando i coniugi si sono separati, l'indissolubilità del vincolo è ridotta a un'astrazione, a una « finzione giuridi »: in essa invece, oltre alla forza di una legge divina, rimane integra la forza e la realtà dello Stato, per dire al cittadino: sappi che il tuo matrimonio è affare tuo, ma interessa anche me; e per educare i sudditi a quel senso di responsabilità che forma il carattere di un popolo.

Ma non è giusto che un coniuge innocente possa, come nel progetto di legge presentato, ricostituirsi una nuova famiglia?

E' stato giustamente osservato come il divorzio abbia, per la sua stessa natura, una contraddizione insanabile tra il fine che si propone e l'effetto che può produrre. Se infatti la legge per il divorzio parte dal presupposto che questo debba essere una pena per il coniuge colpevole, non è possibile evitare che il divorzio diventi invece, in molti casi, un premio per il delinquente. Se la legge parte dal presupposto che il divorzio debba essere l'ultima via di scampo per il coniuge innocente, non può evitare che in molti casi esso diventi invece la meta sospirata del coniuge col-

pevole. Orbene, un istituto che finisce per favorire in tal modo la diffusione del crimine, è esso stesso un delitto.

La condizione del coniuge innocente e tradito nelle sue speranze di felicità merita la più alta commiserazione, ma non bisogna dimenticare che l'indissolubilità del vincolo è un'esigenza di bene pubblico, al quale il bene privato deve essere posposto. Tutte le leggi, anche quelle che più perfettamente ed evidentemente rispondono al bene della società possono, nella loro applicazione, dar luogo ai casi più pietosi. Ciò non dovrebbe recare meraviglia a chi, dallo studio e dall'esperienza, abbia appreso come siano inevitabili i contrasti tra la volontà astratta della legge, eguale per tutti, e le concrete esigenze del caso singolo. Chi oserebbe sostenere, ad esempio, che occorre assolvere l'omicida, quando egli sia l'unico sostegno dei genitori vecchi ed infermi o di numerosi figli in tenera età?

I casi pietosi poi non nascono soltanto dall'indissolubilità del vincolo, ma anche, e in numero più rilevante, dalle leggi che ammettono il divorzio: allora i casi pietosi si ripetono ogni volta che un coniuge viene abbandonato dall'altro, al quale egli aveva consacrato, con dedizione piena e lealtà perfetta, l'amore e il sacrificio di tutta la vita, e viene ripagato col tradimento, sancito in conclusione dall'autorità dello Stato.

Non sarebbe possibile evitare gl'inconvenienti del divorzio, limitandolo, come nella proposta attuale, a casi precisi e tassativi?

La logica e l'esperienza dimostrano che, quando il varco sia aperto, i casi si moltiplicano, perchè non si comprende più come il vincolo si possa sciogliere in certe circostanze e non in altre che appaiono ugualmente o anche maggiormente pietose, o comunque tali che tra esse e le altre, nelle quali il divorzio è ammesso, la differenza non è tanto grave.

Quasi dovunque si è voluto agl'inizi un « piccolo divorzio », e, dovunque esso è stato introdotto, la breccia si è progressivamente allargata. Del resto il deputato socialista non fa mistero delle sue intenzioni, quando chiama la sua proposta « un passo timido e inadeguato ».

Se si ammette il divorzio per il coniuge del condannato a quindici anni, non si vedrà più perchè si debba negare quando la condanna sia di poco inferiore; se si ammette per il coniuge del malato per infermità mentale dichiarata inguaribile, non si capirà più perchè si debba ngeare al coniuge del malato di altri morbi parimenti dichiarati insanabili, e così via.

Ad allargare poi l'applicazione della legge provvederebbero le frodi degl'interessati e le agenzie per i divorzi.

Quali particolari considerazioni suggeriscono i cinque casi proposti per il divorzio?

In merito al primo caso si può tra l'altro osservare che basterebbe un provvedimento di amnistia, perchè un condannato debba trovare, dopo pochi mesi di carcere, infranto ogni legame famigliare. Nè la giustizia umana si può dire infallibile. Ma anche se la pena fosse giustamente inflitta e dovesse essere tutta scontata, è giusto togliere al condannato, dopo la libertà, anche l'ultimo sostegno del cuore, l'unico che faccia vivere e alimenti un suo desiderio di redenzione?

Per ciò che riguarda il secondo caso, non sarà difficile a due coniugi, decisi al divorzio, simulare il delitto, o, anche senza simularlo, trovare dei testi pronti ad asserire che uno degli sposi attentò alla vita dell'altro.

Nel terzo caso la possibilità di predisporlo in frode alla legge è anche più evidente, attesi i molteplici modi di organizzare la commedia dell'abbandono del tetto coniugale, e di fare apparire come iniziata da quindici anni anche una separazione che di fatto dura da pochi mesi.

Il quarto caso non era stato inserito in precedenti progetti di legge analoghi, per quel delicato senso di pietà al quale il cristianesimo ha educato il popolo italiano. Per l'On. Sansone questa profonda umanità del nostro popolo è « facile e falso sentimentalismo ». A noi pare invece che l'obbligazione reciproca della coabitazione, della fedeltà e dell'assistenza, debba attuarsi più pienamente proprio quando uno dei coniugi è colpito dall'infermità più dolorosa, e che si svuoti l'istituto del matrimonio del suo contenuto morale e sociale, se si toglie al coniuge sventurato quell'aiuto che egli si era legittimamente assicurato per tutta la vita e per ogni eventualità.

Contro il quinto caso si può semplicemente osservare che l'infrazione della legge da parte di uno, non è motivo ragionevole perchè l'infranga anche l'altro. La fedeltà al giuramento da parte di uno, è il monito più eloquente per l'altro che l'ha tradito. E se il restarvi fedele costa sacrificio, questo sacrificio, anche gravissimo, è richiesto, come abbiamo già detto, da un'esigenza suprema di bene pubblico.

Come mai allora tanti Paesi dell'Europa e del mondo hanno il divorzio?

Per arrivare ad esserire questo, l'On. Sansone enumera, tra i Paesi che hanno il divorzio, anche la Città del Vaticano. Infatti,

egli dice, in questo Stato è ammesso lo scioglimento del vincolo per il matrimonio soltanto rato e non consumato, e per il privilegio Paolino.

A parte la rarità di questi casi, che realmente non possono estendersi per analogia, nè si sono estesi, come dimostra l'esperienza dei secoli, bisogna ricordare che la facoltà di dispensare il matrimonio solamente rato è un potere commesso da Cristo esclusivamente al Romano Pontefice, e che il Vicario di Cristo può esercitarlo non solo nella Città del Vaticano, ma per i fedeli di tutta la terra. Parimenti di diritto divino e per i fedeli di tutta la terra è il privilegio Paolino.

Dopo questo chiarimento, possiamo anche ammettere che in molti Paesi dell'Europa e del mondo vige la legge che concede il divorzio. Ma si tratta di Paesi dove la fede cattolica non è così assolutamente prevalente come in Italia, e talvolta di Stati dove una piccola fazione ha potuto offendere violentemente la coscienza della enorme maggioranza del popolo. Del resto, anche se tutti gli Stati — per una impossibile ipotesi — commettessero il gravissimo errore, non sarebbe questo un motivo per imitarli. Non per nulla l'Italia è maestra del diritto: proprio per essere modello al mondo nelle sue leggi; per resistere alle deviazioni, anche dilaganti, del pensiero e della vita; per esprimere nei suoi istituti la nobiltà del suo carattere e del suo costume..

Insieme con l'Italia hanno respinto il divorzio: il Portogallo, la Spagna, il Brasile, l'Irlanda, il Canadà Francese, il Cile, la Colombia, l'Equatore, il Perù, il Paraguay.

Quali ulteriori considerazioni suggerisce l'esame della proposta?

Gli argomenti che porta l'On. Sansone per introdurre il divorzio, sono presso a poco gli stessi che esponevano nel 1902, con maggior precisione di linguaggio, gli Onorevoli Zanardelli e Cocco-Ortu, e che furono vittoriosamente combattuti da Antonio Salandra. L'unico elemento che può apparire nuovo nella nuova relazione, è costituito dalle conclusioni tratte dai dati statistici: ma queste, come abbiamo visto, sono in parte inesatte e per il resto arbitrarie.

